UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vlrichi Hvtteni Eqvitis Germani Opera Poetica

Hutten, Ulrich von

[Frankfurt am Main], 1538

VD16 H 6395

urn:nbn:de:hbz:466:1-13027

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

X
111
24
Th. 6028.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

H 111
27

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex legato Celm Principis Ferdin: Epi Paderb: et Mo-
nasterij: An 1683.

VLRICHI HVTTENI EQVITIS GERMANI OPERA POETICA, EX diuersis illius monumentis in unum collecta, quorum elenchum sequens pagina habet.

AD LECTOREM.

Qui legis, atq; oculis hauris sitientibus ista,
Quæ noua iam toties tempus inane parit:
Hæc quoq; non pridem nostris ita uisa sub oris
Pellege, & his longas fallere quære moras.
Forsan & hic aliquid, quod prosit scire, uidebis,
Curúe horas libeat perdere fortè duas.

Collegij socii IESU Paderb:
1538

Liber rarus

ELENCHVS.

Epigrammata Vlrichi Hutteni.
In tempora Iulij II. Satyra.
Ad Maximilianum Imp. Exhortatorium, ut bellum in Venetos prosequatur.
De piscatura Venetorum, Heroicum.
Marcus Hutteni, Heroicum.
De non degeneri statu Germanorum.
Epistola Italiæ ad Maximilianum Imp.
Responsoria Maximiliani Imp. ad Italiam, Autore Helio Eob. Hesso.
Ad Cardi. Adrianũ pro Capnione Intercessio.
Triumphus Capnionis.
Panegyricus in laudem Alberti Archepiscopi Moguntini.
In Pepericorni uitam & obitum.
OVTIS. Nemo.
Vir bonus.
De arte uersificatoria.

VLR

VLRICHI DE HVTTEN EQVITIS GERMANI AD Cæsarem Maximilianum, Epigrammatum liber.

PRAEFATIO.

Rumpit tandem Cæsar, & lenitatis tuæ præsidio, in lucē egredi audet, magnarum nugarum, haud ità magna diligentia elaboratus à me libellus, ut qui ne senserit quidem adhuc, qua communui debebat, limam. Erumpit tamen, immaturus ille quidē, sed autoris sui periculo, quem istæ manent seueræ Criticorum sententiæ. Quanquā non mea id omnino culpa fiat. Quippe, cū uecte claussissem hunc, certus non ædere, contigit, ut qui magnā eius olim partem descripserant, paulo post in Italia iam agente me, & ne suspicante hoc quidem, diuulgarent. Quòd ego in Germaniam rediens, ubi comperissem, & iam Epigrammata ipsa in manibus haberi uiderem, corrupta illa, & ut raptim quodq; ac ipsa adhuc incude feruens collectum erat, quid aliud faterem, quàm ut reuisas nugas, & paucis admodū emendatis erroribus, atq; ut obiter fieri potuit, detersa, si qua horridior esset, scabritie liberius euolare paterer? Accedit ad hoc, quòd in tua aula, qui mei studio tenē tur, aliquid efflagitabant, quod tua cum laude, ut ipsi putabant, æderetur, ac statim æderetur, sic fore dicti

tantes, ut tibi innotescerẽ. Ita non iam meapte ductus ambitione, sed aliorum importunitate coactus, in errorem consensi, siue hoc tibi gratum facio, siue non bene nouerunt te, qui hoc aliquid referre existimabant. Quod utcunq; æstimes non magnifacio. Iã alio enim opere, & magis accurato illo fortè, tuis occurrere uirtutibus decreui. Interea hoc habe, quæ si non admodum probes, legas tamen, aut non legas etiã, saltem habeas. Sunt Epigrammata uariè, diuersis locis ac temporibus in tuas scilicet victorias, aut ut quodq; obiectum est, quod uel ipse uidi, quibusdam enim interfui, uel aliorum relatione gestum cognoui. Quam rem, si accuratius paulò retulissem in literas, contemnere nemo potuit, nunc istam in dubios euentus, et ambigua sorte, aleam iacio, pro te interim uouens, ut diutissime nobis imperes, & incolumis persistas, hoc cerebro afferens, εἰκὸς ἐστὶ, κορώνης ἐνὶ αὐτοὺς ἄρξαι παρ' ἡμῖν τὸν δικαιότατον ἄρχοντα. Nec tu secus de Germania uideris esse meritus. Quæ enim bella non gessisti, sine magno nostro dispendio? Inimicorum opera ultus inimicos, cum qui hinc inde hostes essent, eos inuicem committeres, uidelicet, ut te absumere qui contenderent, hi se ipsi, te spectante, ac incẽdium illud tuo flatu alente, consumerent. Quo consilio, Gallorum incommodo afflixisti Venetos, rursumq; Gallos Heluetiorũ ac Britannorum opera perculisti, nostris ad omnia pericularirissimè usus. Prudenter per deos, ut isti scilicet, de quorum potentia aliquid

quid suspicionis ad te pertineret, cõminuerentur, nos hic in omni securitate pacem haberemus, & quod omnium uincit admirationem, tantum bellũ, tam graue, tam periculosum, ne sentiremus quidem. Quid illud? militibus, qui Veronæ in præsidio erant, et qui Brixam tuebantur, his quinq; plus mensibus, Venetorum pecunia, qua inducias illi abs te redemerant, stipendium adnumerari quòd uidimus? Hoc primum te imperante passi sunt Veneti, ut suis opibus contra se militantes compararent. Age uero, à quo unquã rege, aut principe, eo more pacem petiuerunt, quo à te primo huius belli anno apud Cremam profligati cum essent, ut qui pacem dares, idem conditiones pacis scriberes? Nec obtinuerunt, te infensius iam irato, quàm placari qui posses, aut pacem qui prece ac precio intercedente admitteres. Quod faxit Deus Opt. Max. ut salutare huic imperio, tibi summa cum laude & gloria exeat. Sed iam sine ipsis me tibi nugis obstrepere.

EPIGRAMMATA
AD LIBRVM.

NE prodi titulo ampliore rebus,
Picta fronte, nitore liminari,
Vt fallas populum liber sub auras,
Multos uidi ego sic superbientes,
Scombris, & piperi togas dedisse.
Exi simpliciter, citraq; pompam.

DE SE.

FRancia cui patria est, gelidam porrecta sub Arcton,
Hercyniumq; nemus, qua uitifer exit in amnem
Mogus Rheae tuum, qua Fagina sylua feroces
Francorum populos uicino dirimit Hesso,
Cui pater Huttenus, atq; ordine mater eodem
Contigit ex Equitum, tractu tentauit in illo
Cæsareas pugnas peregrino inscribere uersu.
Itale da ueniam, si se haud feliciter infert
Cultibus ille tuis, certè acceptum ipse tulisset
Vatibus Ausonijs, si quem meruisset honorem.

DE AQVILA.

Hæc uolucris quæ nunc paßis nihil utitur alis,
Omniaq; aëria despicit è specula.
Si quasquam in terras rostrumq; armarit & ungues,
Quas turbas illam posse ciere putem?

DE CAESARE.

Christus habet cælos, infra regit omnia Cæsar,
Nec nisi cælestem respicit hic dominum.

AD

AD CAESAREM.

Quæ causa, aut quæ res mortalibus olim,
Quos colerent uotis, indidit esse deos?
Nempe eadem, quæ te feret hinc super æthera uirtus,
Prouehit hæc homines, & facit esse deos.

DE AQVILA.

Non mirum est, si iam cunctatrix spernitur Ales,
Tam lenta multos usa quiete dies.
Nã neq; compertum est, quid dum tacet illa uolutet,
Quæ sibi constituat tempora, quid úe paret.

DE EADEM.

Hanc uolucrẽ, quæ nunc sine bello & sanguinis usu
Pacem habuit multos semisopita dies,
Si quis adortus erit, nec siuerit esse quietam,
Dispeream malè, ni consulet ille sibi.
Non est iste sopor, ex quo non surgere possit,
Sæpe lacessitæ est alta soluta quies.
Atq; ubi surgit humo, per apertasq; euolat auras,
Heu quantos circum concitat illa metus.

AD AQuilam de motu Cæsaris.

Armiger alte Iouis, mundi timor, inclyta uirtus,
Quos ruis in populos?
Quo se mitis amor, quo se clementia uertit,
Quæq; fuit pietas?
Arma gerit mundus, pax est turbata per omnes,
Priscaq; rupta quies.
Mouit causa uiros, furibundæ in prælia gentes,
Te duce bella gerunt.

Ira duces, & cædis amor, fastidia pacis
Vnà iniere tuos,
Inclyte terrarum ductor, spes summa tuorum,
Altè amor, altè timor.
Quos trahis euentus animo? quas concipis iras?
Cui ue nocere paras?
Quas affligis opes, aut quod fortissime regum
Destruis imperium?
An mortale tuis peius requiescit in alis,
Te fruiturq; genus?
Hæc quisquam irata nimiumq; nocere parante
Quæsiit ex Aquila.
Rettulit illa uiro, causam illinc Gallia pugnax
Præbuit, hinc Veneti.
Sæpe quidem Venetis, quanquã exagitata, peperci,
Cum peterent ueniam.
At Gallos etiam meritis, & uiribus auxi,
Non retulere uicem.
Vix ea commemorans, totas consurgit in alas,
Nunquam ita terribilis.
Cui se tot populi iuxta, passimq; secuti
Applicuere duces.
Heu malè consultum Venetis, Galloq; ruenti,
Quos necat iste furor.

AD CAESAREM.

Velle puto Superos, ut te tua fata repente
Sublimem priscis adnumerent atauis.
Vota ferunt homines, & te superesse precantur,

Infera nam quis te digeret hæc melius?
Ast ego fumosas quoties loco munus ad aras,
Hoc peto, & hoc mecum mille petunt alij.
Inuideant ne te misero pia numina mundo,
Atq; ita dent cælos, ne hinc rapiare citò.

DE MAGNITVDINE Maximiliani ad Germaniam.

Quid ueteres mirare tuos Germania Reges?
Quid repetis priscos in tua secla Duces?
Ne pete Gambriuios, natosque Tuisconis omneis,
Visáq; sub Manno fortia corda deo,
Hermionasúe alacreis, natosque Ingeuones armis,
Cymbrorum proceres, Teutonicumq; genus.
Quiq; domi tibi, quiq; foris peperere decorem,
Neue Ariouistos, Arminiumq; ferum.
Crede mihi, temere præsens reuocatur ad ænum
Carolus, ut fortis, magnus ut ille fuit.
Quid septem Henrichos, quid tres mirarris Othones,
Non ulli dignos cedere Scipiadi?
Et Latio horribiles Friderichos, quos ratio egit
Vlcisci infidos sanguine Pontifices?
Vt tunc tempus erat, nemo ornamenta superbæ
Teutoniæ potuit prouehere ulterius.
Nemo istis melius geßit, uel pace, uel armis
Rem patriæ. Nemo fortius arma tulit.
At si quem probitas, si quem omnis criminis expers
Mens dignum patrio fecerit imperio.
Si cupis innocuos mores, pacemq;, fidemq;,

Summus & ad uotum Maxmilianus erit,
Quem neq; mollicies possedit, quæq; uoluptas
Terrarum dominis regibus esse solet.
Et cui non placuit luxu indulgere supino,
Si qua fuit, nunquam pax odiosa fuit.
Illecebris nullis, nullaq; libidine fractus
Defuit ille sibi, defuit ille tibi,
Quis uidit madidum myrrha crispare capillum?
Quis uidit casia, quis maduisse croco?
Quando armis requiem, bello quando ocia honesto,
Aut trabeam rigido prætulit ille sago?
At contrà integritas, contrà est clementia uirtus,
Quæq; artes tantum percoluere animum.
Si petis ingenium, si ne qua industria desit,
Septem uno linguas hic solet ore loqui.
Si petis, ut sumptis bellum experiatur in armis,
Iam ruit in Gallos, iam ruit in Venetos.

IN OBSIdione Patauina æger.

Euganeas uideo turreis, Antenoris urbem,
Speratum fractis effugium Venetis.
Telorum uolat omne genus, defendere muros
Illi, nos contrà tendimus eruere.
Nos cælum & tellus, illos sua mœnia seruant.
Spes nobis, illis propositus timor est.
Reddidit inclusos sua desperatio forteis,
Cumq; fuga ulterior nulla sit, arma mouent.
Si quis in hoc numero est, qui possit plurima, ciues,
Hunc ut seruemus, me perimant Veneti.

Iam

Iam pede pertæsum est, claudoq; insistere talo!
Qui ualet ut uiuat, me perimant Veneti.

DE MAXIMILIANO Cæsare.

Ille uiri Cæsar, pacis studiosus, & æuo
Segnitie nimia uisus obesse suo,
Cernere enim factis licet, & nouitate stupenda,
Maiore est, quàm tunc corde putatus erat.
Donec facta tulit Veneti opprobriosa Senatus,
Non caruit, sed non perfrutus est animo.
Atq; igitur reputans, quæ nunc sub pectore dicit
Qui non hoc Marij, Scipiadæq; latent?
Maxima non laus est, confestim effundere uires,
Sed remorari animum, temporibusq; frui.

AD CAESAREM Maximil.

Si tua corruptum moueat clementia mundum,
Vt constet, rebus non inhietq; nouis.
Si te propositas Cæsar comitemur ad arteis,
Si coëant uotis omnia uota tuis.
Maior Roma fuit, nunquam contendere possim,
Si qui ad hanc ueteres ducat Olympiadas.
Nunc nostris trahimur uitijs, nobisq; perimus.
Quos tu, quàm malles heu tua iussa sequi.
Verte animum Cæsar. Non te mitemq; bonumq;
Non te clementem tempora nostra uolunt.

DE SE in obsidione Patauina.

Erraram à castris ad clausam Antenoris urbem,
Continuò flamma missilibusq; petor.
Certè equidem fateor, timui: nec ut antè mouebam

Inuidiam lingua, sed bona uerba dedi,
Parcite, qui Pataui muros arcemq; tenetis.
In me uulnifica mittere tela manu.
Parcite me Veneti ferro disperdere & igni,
Ne de tot pessum millibus unus eam.
Non ea fortuna est, ut nunc ego uiq; manuq;
Horrida commoti Cæsaris arma sequar.
Huc me sola trahit uestri admiratio regni,
Noscere uos cupio, perdere non cupio.
Vt uideam ueni, non ueni euertere bello
Altini sedes, Euganeasq; domos.
Alter ab arctoa uobis furor imminet Alpe,
Germanum peditem ducit Iberus eques.
Has ruite in uires, nam quæ tum gloria parta est,
Si de tot pessum millibus unus eam?
Nullæ hostem mouere preces, mihi terga relapso
Heu quàm difficili consuluere fuga.
Vt cæso me nullus honor fuit, haud ita uobis
Pulchrum est me claudos eripuisse pedes,
Dicebam, & fessus media inter millia cursu,
Tutus in effosso delitui tumulo.

DE LEVIVSCVLA quadam à Venetis accepta clade.

Cernis, ut Adriacas moueant noua gaudia Ranas?
In numerum Venetus, ut saliatq; Leo?
Cernis, ut Euganea respiret Marcus in unda?
Vtq; tumens patria uix capiatur aqua?
Causa rei, sumptis non faustè Teutones armis,

Mil-

Mille quòd à Venetis procubuere duo.
At postquam ferus arma geret Ioue uindice Cæsar,
Quod tutum Venetis tum satis æquor erit?

DE VENETIS & Germanis.

Tollere pax Venetos, Germanos arma solebant.
Ingeniumq; suum pondus utrisq; dabat.
Mutantur mores, neq; enim Germania pugnat,
Armaq; tu temere conseris urbs Venetum.
Si licet ire retro, uicibus date mutua uersis,
Res tunc Germanis, Res erit & Venetis.

IN Gallos Cæsarem fugere commentos.

Solaris te Galle miser, tibi gaudia fingis,
Hæc petis in media commoda tristitia.
Fingis enim, rebusq; tuis lætum instruis omen,
Quo quis te in populo non putet ista pati.
Finge quidem, casusq; tuos solare premendo,
Interea Cæsar dum gerat ista tamen,
Et quem tu iactas abrupto excedere bello,
Hæreat in tergo, cæde manuq;, tuo.

PRO PASquillo Romæ.

Anxia lustrato postquam Gens Itala mundo
Consuluit uates, consuluitq; deos.
Quod malè respondent uates, Pasquille, deiq;,
Te rogat, amisso Cæsare, Cæsar ubi est?
Certa nec accessi referunt oracula Delphi,
Nec Dodonei sylua canora Iouis.
Omnia templa silent, nullus canit abdita uates,
Ipse tacet Lybico corniger orbe deus.

Vt tandem inueniat, miro Florentia motu,
Visa est iam claro sole tulisse faces.
Atq; aliquis metuens, ne sit sine Cæsare mundus,
Elegit Gallum Cæsaris esse loco.
Maxima res, neq; te Pasquille peritior alter,
Dic tandem uates optime: Cæsar ubi est?

PASQVILLVS.

Pone metum Romane tuo de Cæsare, uiuit
Vlla fides ex me si tibi, uiuit adhuc.
Vis ultrà sperare aliquid? uenit hoc ego uates,
Quo ratius loquitur Delphica fama nihil.
Pugnaces reuolant aquilæ, uidi ipse uolantes,
Et tota horribiles spargere ab alpe minas.
Quid gemitis Veneti tandem? quid Galle tremiscis?
Hæc ego non dixi sæpe futura prius?

DE Quodam in Italia conuentu.

Omnia miscentur, confudimus infima summis,
Partitur, quisquis non sua regna tenet.
Abstrahitur Latium secluso à Cæsare, donat
Hoc aliquis Venetis, hoc tibi Galle aliquis.
Oppositam molem, iniectasq; ut transeat alpeis,
Has Aquilæ pennas quis satis esse putet?

IN VENETOS iam exultantes.

Desinite ob casum Veneti exultare repente,
Quæ fortuna bona est, itq; reditq; citò.
Armiger iste Iouis, qui lumine dormit aperto,
Sublimi uobis imminet è specula:
Qualis ea est, non est Aquilam contemnere tutum,

Sæpe quid assuetam ferre, morasq; pati.
Iamq; soporatæ similis, si mouerit alas,
Quos non continuò conciet illa metus?
Non tutum est Aquilæ Veneti contemnere pennas,
Et ualde his potis est, & nocuisse citò.

DE CAEsare & Venetis.

Rana procax nuper Venetas egressa paludes,
Ausa est, quam tetigit, dicere: terra mea est.
Quam procul ut uidit specula Iouis ales ab alta,
Conuulsam ad luteas ungue retrusit aquas.

DE VEnetorum petulantia.

Bella mouent Veneti, poscunt te in prælia Cæsar.
Quæ mora? da bellum, prælia Cæsar ini.
Excipiant Rhœti Venetos, alacresq; Sueui,
Germanos gladios Itala parma uoret.
Hæc uixdum ædiderat quisquã, cũ iam impete facto,
In Venetos rueret, consereretq; manum.
Cromnia progenies, & magnæ filia Troiæ,
Quò fugis? hostili cum pede siste pedem.

DE BELLO Veneto.

Quid faciunt Veneti? pugnant. Quo milite? Ranis.
Quo duce? mentitus præcipit arma Leo.
Tũ quibus auxilijs? Gallorũ. In quo hoste morãtur?
Cæsare. Quid predæ quæritur? Italia.
Quid gessere igitur? quosdam exciuere tumultus.
Quod fortasse duces terruit Italicos.
Quid factum interea? mouit Iouis armiger alas.
Quid Veneti? rebus consuluere fugæ.

Quem

Quem finem sperare licet? Regina uolucrum,
Et rostro, & sæuis unguibus arma geret.
Desinet esse Leo, spolio dux uictus adempto,
Fractáq; in Adriaca Rana latebit aqua.

DE ODIOSO VENE=
torum imperio.

Quæ uicinia non tulit molestè
Regnantes Venetos? quis anxio non
Commutare uolebat hos periclo?
Crudeleis, dominos, graueis, tyrannos,
Sæuos, δημοβόρους, feros, rapaces,
Gaudentes nece, sanguinariosque,
Cyclopum simileis, acerbiores
Irato Phalari, Syracusana
Plus aula nocuos, cadauerosо
Regno Lestrigonum cruentiores.
Sed me nescio, quid magis molestat,
Vt nolim Venetos diu imperare,
Negant á Venetis fidem teneri.

VOTVM in morbo pedis.

Has tibi dona fero mundi regnator ad aras,
Quæ dabo iam saluo prosperiora pede.
Da morbum cessare pedis, da robur ademptum,
Sic tua nunquam Arabo templa sapore uacent.
Marte rapit Venetos dux Maxmilianus in hostes
Germanos pedites, & Calabros equites.
Non precor, ut morbo uiuam tranquillus abacto,
In bellum ut tanto sed duce miles eam.

MORTEM esse extremum omniũ malorũ.
Verbum Cæsaris haud redarguendum,
Dignum hoc pectore, talibusq; gestis,
Et uel Pharsalico amplius triumpho,
Quo mortem statuit malis supremum,
Finemq; omnibus & modum, dolori
Optatam requiem. Fluunt ter octo
Germani iuuenes, recente pugna
In thermis Aponi (nefas) perempti.
Nec iam crura dolent pedesq;, ut ante,
Cur quærant Aponi calens lauacrum.
Quod non unda dedit, nec ars, nec herba,
Vt fiat lacero modus dolori,
His tot mensibus, alteris tot annis,
Mors una tribuit uiris in hora.
Quod quisq; uidet, æstimatque secum,
An quod Iulius haud putabit idem,
Mors est terminus omnium malorum?

IN VENETOS.

Haud dum omnes contẽptæ aquilæ, ne Rana superbi,
Neu tibi sub Marco semileone place.
Videris Insubres Gallo licet auspice turmas
Confringi, Heluetias interimiq; manus,
Sæpe suus uictis redijt deus, aut ego fallor,
Aut tibi Teutonica restat ab alpe malum.

IN BARtholomæum de Viano ducem Veneti exercitus.

Prospera si pugna est, iuras, si improspera, iuras.

Ocia nactus idem Bartholomæe facis.
Si uincis, iuras: iterum si labere, iuras.
In castris iuras, in curia, inq; foro.
Militiæ iuras, inter conuiuia iuras.
Iuras in medio naufragus Oceano.
Iuras arma ferens, iuras in pace togaq;.
Iuras, seu tractes seria, siue iocos.
Si lux est, iuras: nox te iurante tenebras
Inuehit, & fuscis Cymbia fertur equis.
Vndiq; cum iures, iurando dic mihi tandem,
Quid non iurando Bartholomæe facis?

IN EVNDEM.

Nulla est relligio, seruasti fœdera nunquam,
Contemerasti omnem Bartholomæe fidem.
Moribus his si te durare impunè uidebo,
Quos colui, nullos esse putabo deos.

ROBERTI Seuerinatis Epitaphium.

Robertus sub hac mole belliger cubo,
Viator, ille Martius Dux Italûm,
Gerente quo rem, fortis Adria stetit.
Peremptus idem patriæ spem sustuli.
Germanus insolenter ausum me dedit
Exempla Princeps posteris. Caue nepos.

DE PERFIDIA Venetorum.

Miraris Venetæ Cæsar periuria gentis,
Miraris toties fœdera rupta tibi.
Simpliciter nimium. Quid enim iurare sinebas?
Quos iurat Venetus, non putat esse deos.

DE GRASSatura Venetorum.

Iam per Osopiacas Venetus Leo pascua rupes
Ibat, & in Carnis Illyricoq; legens.
Ibat, Amyclei quærens in fonte Timaui,
Quis domet immanem raptibus in gluuiem,
Præda Tridentino captata est ultima rure.
In primo fortis limine Teutoniæ,
Cum populi Italiæ partum satis esse monerent,
Grassandi faceret nec tamen ille modum,
Continuò Boreæ surgens Iouis ales ab axe,
Horrenda in Venetas morte repellit aquas.

DE VENETIS.

Passa sub Argiuo quæcunq; Agamemnone Troia est,
Quæ mala Pellæo sub duce Theba tulit.
Quæ Carthago potens, quæ bello pressa Corinthus,
Sæuitum in Solymas quo fuit igne domus,
Et qua Mimedæam prostrauit clade Damascum,
Qui terris Scythico fulmen ab orbe ruit,
Qua rabie Turcus Bizanti perdidit urbem
Non metuunt Veneti, sed grauiora ferent.

DE ODIO Venetorum.

Oderunt populi Venetos, odere Tyranni.
Quiq; procul, quiq; his proximiora tenent,
Excidium cuncti supremaq; fata precantur,
Regnantes nemo ferre potest Venetos.
Dispeream, tantæ quæ pondera sustinet urbis,
Si sua cum Venetis Doris amica manet.

DE Pugna Mediolanensi in Venetos.

Insubriæ cecidere duces, ruit Helueta pubes.
Gaudet, & in patria Rana triumphat aqua.
Fer modicè, nec te nimium succeßibus effer,
Perpetuum non est hoc tibi Rana bonum.
Optima quæq; suum cito perficit hora tenorem.
Nutat in ambiguo sors malefida statu.
Cum uideas nihil esse diu, mutanda repente
Omnia, per uarias ire, redire uices.
Hoc potes euentu celebrem ductare triumphum,
Nescia quæ sequitur, quid ferat hora tibi?
Fer modicè, nec te nimium succeßibus effer,
Multa simul uenium læta, abeunt q; citò.

DE PRODITIONE per milites Germanos Brixiæ.

Non capta est ferro, uerum auro Brixia capta est.
Perdidimus famam, perdidimusq; fidem.
Hoc de Germanis? aut cui metus ante subisset,
Ne quisquam hos populos proditione noteti
Perdidimus famam ciues, & turpiter ausi,
Omnibus externis fabula fœda sumus.
Dij perdant, facinus quibus hoc autoribus actum est.
Per quos hæc famæ nascitur improbitas.
Tu dominis Venetis, & auaro Brixia Marco
Germanorum hominum proditione subi.
Proh facinus, quid enim non dant hæc tẽpora peiusi
Perdidimus famam, perdidimusq; fidem.

DE CLADE à Venetis accepta.

Odisse Adriacas, sed non contemnere Ranas,

O ſocij rectè, qui monet, ille monet.
Dixi equidem: ſunt & Venetis ſua numina, Sors eſt,
Quæ uarias dubio circinat orbe uices.
Quòd dixi, riſere uiri, quidamq; bibendo,
Clamabant Venetos ſe iugulare decem.
Hoc Venetos iugulare fuit? uel ab hoſte tueri
Hoc fuit? ô uitam, ſomnia, uina, dapes.
Millia cæſa uirûm, ſumptis ſine turpiter armis
Quatuor, ô uitam, ſomnia, uina, dapes.

IN pugnam Cremonenſem.

Qui uolet attonitæ pugnam inſcripſiſſe Cremonæ,
Vt breuiter cladi det titulum Venetæ,
Hoc potuit ſaluo decerpere carmen Homero,
ἔκτανε τοὺς βατράχους ἄιετος ὑψιτέτης.

IACOBI de Ems Equi. Ger. qui prælio Rauennenſi occubuit, Epitaphium.

Hoſpitis ad tumulum quiſquis ſpaciare Sueui,
Deſine propitios eſſe negare deos,
Poſtquam omnes Italorum urbes, patriæq; potentis
Implerat fama nominis, occubuit.
Pugnauit toties, nunquam non uicit in armis,
Hoc quoq; quo cecidit, tempore uictor erat.
Ne mortem accuſa, neq; enim uitam abſtulit, auxit,
Quin hæc ſi moueas, uiuere buſta putes.

IN pugnam Cremonenſem.

Bella, trophæa, uiros, pugnas, ſpolia, arma, neceſq;,
Non uacat Auſonidum commemorare patrum.
Cæſa Cremonenſes patefecit ut Adria campos,

Persuasum est, uinci nil potuisse magis.

IN Pugnam Rauennensem.

Victori uictoq; dolor, rabida arma quiescunt.
Qui uicit, non sic uincere sæpe uolet.
Concurri sumptis quis uidit atrocius armis?
Telaq; misceri sanguinolenta magis?
Vnius haud populi pugna profudit in illa,
Roma suas uires, Illyriumq; suas.
Tum proceres periere Itali. Germana iuuentus
Amisit primæ robora militiæ.
Profligata acies Hispana, ignobile uulgus,
Rettulit amissis Gallia nobilibus.
Iulius una mali causa est, Respublica Christi
In sua crudeli uiscera cæderuit.

AD Rauennates.

Perdis opes, perdisq; uiros, dura omnia perfers,
I nunc, Pontifici plaude Rauenna tuo.

IN mortem Iacobi de Ems.

Quam prius ædiderat stragem fortissimus Heros,
Hanc super exhaustus sanguine procubuit.
Aspicis exangues iam nunc quoq; frendere uultus?
Pallentiq; truces feruere in ore minas?
Sic stratam ut tulerat, iam nunc etiam arma ferentem
Qui uidet, auertens hostis, ut ante timet.

AD Cæs. de profligatis Venetis.

Debebat tibi nobiles Tyrannos.
Debebat tibi sors uiros ducesq;,
Inuictos animo feroce reges,

Gesta

Gesta re celebri, potentiáq;
Sublimes, tibi debuit triumphos
De uirtute pari, sed ut ferebat
Fortunæ fauor, atq; iniquus error,
Quanquam est hoc aliquid, tibi relictum est,
Dum punis Venetos superbientes,
A laudum modico decore tolli.

IN Pugnam Cremonensem.

ὧν ὕβρισε βίᾳτι σιδ' ἤρεον οὐρανὸν ἵκει,
Et qui non homines, non timuere deos.
Hac Veneti seruare fidem de clade monentur,
Ruptaq; profuso sanguine pacta luunt.

BOMBARDAE à Germanis pugna Rauannensi receptæ.

Gallorum tormenta sumus, Germanus ademit,
Quõdam hosti uictor, nunc reddit uictor amico.

OBSESSVS à Gallis cum salutem desperasset

Qui miserè natus miserabile transijt æuum,
Sæpe malum terra sæpeq; passus aquis.
Hic iacet Huttenus. Galli nil tale merenti
Insontem gladijs eripuere animam.
Si fuit hoc fatum uita torquerier omni,
Censendum est rectè procubuisse citò.
Vixi equidem Musis, animum coluiq; per artes,
Sed reor irato me studuisse deo.
Mens erat, arma sequi, & Venetum sub Cæsare bellũ
Verum alio bello concidi & hoste alio.

Pauperiem, morbos, spolium, frigusq; famemq;
Vita omni, & quæ sunt asperiora, tuli.
Rectè actum, cecidi iuuenis miser, & miser exul,
Ne maiora feram, ne uidearq; meis.

TROPHAEVM Iacobi de Ems.

Mars genitor uotos Iacobus ductor honores,
Hæc tibi de fusis arma locat Venetis.

DE Venetis ad Cæsarem.

Ferebant Veneti nimis superbè
Fortunas patrias, suiq; census
Non euertibiles maris putabant,
Tanquam illis dea cœca semper aurum,
Semper diuitias rota fauente
Præsens accumularet, & quotannis
Deuictis noua regibus tributa
Vltro apponeret. Hinc furor minæque,
Hinc insania, pertinaxq; fastus,
Augebant animos ferocientes.
Hinc ille immodicus tumor suasit,
Reges spernere, despicatuique
Germanum decus, & uiros habere,
Diuos atq; homines nihil uereri.
Ah nudum quoties & indigentem,
Exhaustumq; pecunia uocabant:
Ludo te Veneti salaciori,
Te dicteria, te leues cachinni,
Et saltatio & insolens theatrum,
Notabant, tibi mordicus prehenso,

Infames tituli et notæ tributæ,
Versa est tota retro beans uirago,
Et quæ iam Venetum ioca impudentum,
Hancq; in te petulantiam ferebat,
Rursum(ô tempora)deijcit premitq;
Nudos æris, & omnium carentes,
Solos, auxilioq; destitutos,
It lugens mala ciuitas, facitq;
Quos spreuit, superis suprema uota.

DE MVNERIBVS Venetorum.

Vt pacem obtineant, ut te in sua fœdera ducant,
Omne genus Cæsar munera dant Veneti.
Hæc dare, surripere est. Si sumpseris, ô decus, ô laus,
Quæ tibi deuictis integra erant Venetis.
Dant tibi, quæ tua sunt, rapiunt tibi maxima ab hoste
Missa, uocare igitur quid licet? insidias.

IN PVGNAM Rauennensem.

Fas socij, malè uelle malis, odisse superbos,
Armaq; conari contra inimica manu.
At miserum est, sociale nefas, ciuileq; bellum
Miscere, & sociæ cladis amore trahi.
Vicimus, at nobis perit, & de sanguine nostro
Effusum est, quicquid perdidit ista dies.
Atq; hoc seruitum est iterum tibi Turca triumpho,
Quod nisi lætaris, non sapis, at sapis hoc.
Te felicem igitur, cui quos tu perdere uelles,
Ipsi intestino perdimur exitio.
Victor oua, compos uoti, suspende trophæum,

Nam sine cæde tua uicimus ista tibi.
Mutuum in interitum pastoris ouilia Christi,
Nedum hæc ille lupus perderet, ipsa cadunt.
Erratum est socij. Tum si quis gaudet ab ista
Cæde, suo lætum se sciat esse malo.

AD CAESAREM.

Senserunt Veneti, quæ sint ea somnia Cæsar,
Quæ modo dicebant perpetua esse tibi.
Tantorum sopor his igitur fuit ille malorum
Causa, quòd hanc requiem non uoluere pati.
Fallaces oculi, & simulantia lumina somnum,
Quo (miserum) Venetos perditis exitio.

DE Pugna Rauennensi.

Sparsa Rauennates semiobruta membra per agros,
Quæq; fit esca auibus, quæq; fit esca feris.
Diuersorum hominum manante cadauera tabo,
Corporis Hispani hoc, corporis hoc Veneti.
Germanorum alibi iuuenum caritura sepulchro
Ossa, uidet quisquam & temperat à lachrymis?

AD Cæsarem de uictoria Cremonensi.

Vlte nefas Venetum, scelera ulte insignia Cæsar.
Confer in accensos thurea dona focos.
Gratas redde preces, æquo cadat hostia Christo.
Qui te, qui patriam seruat, & imperium
Qui Venetas tibi fregit opes, spem gentis auaræ
Sustulit, in miseros deposuitq; metus.
Sacra deo primum fac sospes, deinde triumphæ.
Lætaq; uictrici fige trophœa manu.

Tum

Tum uos Cæsareæ quibus est cura illa salutis,
Hic pia ferte deo munera, ferte preces.

DE prælio Cremonensi.

Prælia Mantoo dare carmen idonea uati,
Materia insigni iustaq; Mœonidi.
Res Venetûm quibus aucta tenus fuit, omnipotente
Fortuna gratas usq; mouente uices,
Heu quantum fregistis opum. Quæ copia per uos
Ex illo rerum flore senescit inops.
Nubila felici duxistis quanta sereno,
Scilicet hac Venetûm res fuit aucta tenus.

DE EODEM.

Parte uidet Venetos conflictu Crema sinistro
Hac cadere, atq; illa parte Cremona uidet.
Dat specimen fortuna sui, dant numina signum,
Heu nullam humanis rebus inesse fidem.

AD Venetos de pugna Cremonensi.

Cæsareos soliti petulanter carpere somnos,
Cunctantisq; moras uertere in opprobrium,
Desidiam nobis Veneti obiecistis, & illam,
Nobis haua, uobis quæ nocuit, requiem,
Ociaq; & lusus, quando inter uina supinos
Dixistis populos degere Teutonicos.
Verba animos mouere uirûm, risusq; superbi
Soluimus infamis ocia desidiæ,
Soluimus ô Veneti somnos, uigilamus abactis
Lusibus, in uestras sed uigilamus opes.
Iamq; etiam euentus docuit pugnare supinos.

Scire

Scire, & cunctantes rumpere posse moras.

DE fortuna Venetorum.

Qui nuper terris Veneti quiq; omnibus undis
Imperium, & leges imposuere nouas,
Qui uicere duces, traxere in uincula reges,
Et freno populos continuere feros,
Quorum opibus nil maius erat, quorũ urbe superbũ
Ilion inferius, sordidiusq; fuit.
Et qui iam secum tumidi caput orbis agebant,
(Quid non immutant tempora?) sunt miseri.

DE erumnis Maximiliani.

Quos facit excelsos, cogit prius omnia uirtus,
Quædam etiam, quæ uix sint adeunda, pati.
Quæ si lance suis quicquid dat, ponderat æqua,
Et quantus labor est, præmia tanta refert.
Nemo maior erit, nemo te æquabit honore,
Nam qui pertulerit tot mala, nemo fuit.

DE immodestia Venetorum.

Concessit Venetis maxima Iupiter,
Terras, & peregrè diuitias maris,
Europæ in populos, perq; Asiæ sinus,
Ingens imperium, regnaq; fortia.
Atq; hæc si libeat ferre modestius,
Dixisses etiam plus nimio satis,
Sed magnas quia res magna superbia
Tranquilli impatiens desuper abijcit,
Rursum aufert Venetis omnia Iupiter.

DE fortuna ad Cæsarem.

Nuper

Nuper uirtuti fortuna inimica furebat,
Quantis ut posset uiribus officeret.
Ergo ut te totum pessundaret, ocyus illam
Fronti aptasse ferunt cornua bina suae.
Tu uirtute tua nixus, de fronte reuellis
Cornu aliud Gallos, cornu aliud Venetos.

DE IMPrudentia Venetorum.

Quisquis exemplo Veneti senatus
Non feret lætam & lacidè quietem,
Ducat exemplo Veneti senatus
Tristia fata.

DE FATIS Venetorum.

Fabula mota recens Italas conterruit urbes,
Atq; illam Veneti composuere patres,
Scilicet, ut si quid foret infeliciter actum,
Hæc mœstum attonita pellet ab urbe metum.
Esse quid in fatis, quod Cæsaris arma moretur,
Atq; illos iubeat orbis habere caput.
Germanas Aquilas Veneto succumbere Marco,
Summaq; in Adriaco regna futura freto.
Terribiles etiam clades, cædemq; minantur.
Quæ cum aliquis credat, non eget Helleboro.

DE fortuna Venetorum.

Regna fluctuantis hæc maris potens,
Modo superbia tumens, & ebrio
Sufflata cultu, bella, delicataq;,
Amabilis, spectanda, florido statu.
Huberta cui fuere cuncta, quæ suas

Iactabat immodestius opes, nigro
Sedet paratu lachrymans, nec ut prius
Superbit, ora squallido situ oblita,
Genæ nec ut solent tenellulæ, nec est
Venusta frons, cessit potentiæ suæ
Throno, sedetq; languidum nullo caput
Nitore continens manu, solo cubans.
Putauit hanc sibi haud ineptam sors, iocos
In qua æderet suos, & orbi illuderet,
Quid non tibi licere credis Antias?
Quæ non soles miscere suprema infimis?

AD BONONIENSES.

Tu nunc Sequanicos mirata Bononia Francos
Omnibus acclamas pompa obeunte uijs.
Plaude quidem, pompamq; noua uictoribus istis,
Et dominos Gallos fer, dominosq; uoca,
Verum alios Francos alio Germania plausu,
Heu uereor, ne te non cupiente dabit.

DE Conuentu Bononien. ad Italos.

Quid te adeò genus acre uirûm, quid te Itale pugnax
Hi passim plausus, istaq; pompa iuuant?
Non quorum adspirat primo fortuna labori,
Continuò muicti roboris esse puta.
Fregerit Heluetias Germano milite uires
Gallus, ab imperio Sfortia deciderit.
Ast ego uenturi uates ero, credite uati,
Cum ueniet Cæsar, omnia Cæsar erunt.

DE FORTVNA.

Hue

Hue nunc huc oculos patentiores
Et mentis graue dirigant acumen,
Reges, & populi ducesq; rerum.
Cum Gallis Venetos superbientes,
Contrà nonnihil insolenter ausos,
Oblitosq; sui, suæq; sortis,
Vicit Cæsar, & ad nihil redegit.
Quis nunc fortuitos opinione
Amplexabitur exitus sequaci?
Aut quod sors dederit, ratum putabit?
Quis nunc diuitias potentiamq;,
Vt certum feret, ut suumq; ducet?
Fortunæ uagus est, leuisq; nutus.
Incertus fauor, & rotæ minacis
Incomprehensibile & citum uolumen.
Huic magnam Veneti fidem dederunt,
Hanc semper solito uenire Gallus
Cursu credidit, & tenore cœpto.
Verum hæc uersare trò fefellit ambos.
Et quos sustulerat fauens in altum,
Rursum deprimit inuidens ad imum.
Fortunæ instabile est uagumq; numen,
Virtus quos habet efficit beatos,
Et si quid dederit, uetat reuelli.
Cui fidens animo nihil timente,
Votis omnibus, exitus in omnes,
Terrarum caput, ad nihil redegit
Cum Gallis Venetos superbientes.

DE Fortuna ad Cæsarem.

Tarda quidem, sed optima tibi fortuna resultat,
Quæ ueniunt cupidis sera, tamen ueniunt.
Iupiter ille tuus tibi dum bona temperat astra,
Quiddam à Saturno, ne cito det, patitur.
Impediat licet ille, tamen melioribus astris
Sunt tibi uel media fausta parata mora.
Sidera promittunt meliora, quid ambigis? an non
Tardior ad uotum est optima quæq; dies?

DE Gallo & Cæsare.

Omnia sunt Galli, contrà petit omnia cæsar,
Ille quod est, fruitur. hic quod abest, inhiat.
Fac ludos fortuna aliquos mutata repente,
Cæsar ut hæc habeat, Gallus ut hæc cupiat.

DE ITALIA.

Victores paulò ante penes sors prospera Gallos
Cum foret, in Latio fabula cæsar erat.
Vertit se fortuna retrò, Germania uicit,
Confestim Gallus displicet Italiæ.
Nescio quid sperem, certè quid dicere possem.
Mobilis Italia est, nobilis ante fuit.

DE FORTVNAE mobilitate.

Sorte sub ambigua deuinctus uertitur orbis,
Inq; uicem redeunt candida & atra dies.
Imus ad arbitrium fortunæ luminis orbæ,
Ad uentum exposita uertimur inq; rota.
Omnia dant casus, adimuntq;, ita uertitur ordo,
Si tamen est ordo, cuncta regit temere.

Vidi ego regnantes Venetos, seruireq; uidi,
Sublimesq; iterum uidi, iterumq; humiles,
Paruum intra spacium, nec multos temporis annos,
Vsq; adeo uariat sors, uariatq; citò.

QVOD Fortuita facilè mutentur.

Æris eget Cæsar, numeratum possidet aurum
Gallus, & est auro floridares Venetûm.
Hostibus addit opes motu fortuna secundo.
Virtutem nobis cædit & arma deus.
Stat quisquam, & casu mentem defigit in illo,
Euentum dubiæ nosse cupitq; rei.
Et dum Sidonio Gallos miratur in ostro,
Et Tyria Venetos murice obire uidet,
Paupere continuò spem totam à Cæsare ducens,
Sub dominis Gallo fert Venetisq; iugum,
Quos ubi contundi nostris rursum aspicit armis,
Teutonicas iterum pronus adorat opes,
Nimirum sapiens, nam quod fortuna dat, aufert,
Non hisdem uicibus datq; adimitq; deus.

DE EADEM.

Quem dederat fortuna apicem, si quando reuellit,
Non sibi præstandam commonet esse fidem.
Sunt hanc usq; tamen, qui demirentur, & omnem
In cœca ponant spem uariaq; dea.

DE FORtunæ ludibrio.

Erexit Fortuna rotam (sic perdita mundo
Illudit, quoties hanc iuuat esse leuem)
Erexit circum attonuti regesq; ducesq;,

Ante uagam mœsti stant hilaresq; deam.
Illa uiros durare iubens, spe mulcet inani,
Ambiguũ axe mouens orbem, iterumq; mouens.
Æternum facit hoc, nec adhuc tamen implet hiantes,
Dum sæpe à summo mutat ad ima loco.
Dum nunc afflat opes, dum nunc subuertit honores,
Dum fouet immeritos, attenuatq; bonos,
Dumq; onerat curis, & sollicitudine uexat,
Vltra omnem fallax expatiata modum.
Sic aptam, tamen esse aliquid, numenq; putamus,
Hunc fucum nostris obliuit hæc oculis.

DE IMmodestia Venetorum.

Concessa est Venetis efferto copia cornu,
Plausibus extemplo læticiaq; fremunt.
Cæsaris arma agili si quid fortuna rotatu,
Euexit, planctu tristitiaq; iacent.
Vsq; adeo fortuna nihil moderabile suadet,
Oblitosq; sui quos regit esse facit.

AD FORTVNAM.

Quem finem fortuna facis ludiq;, iociquet
Aut uariam in nobis, qua iuuat esse tenus?
Cum premeres, imo Venetos & in axe locares,
Vidimus imperij luxuriantis opes.
Res illis rursum facis, ut contingat abunde,
Præcipitiq; leue; Cæsare ad alta uocas.
Conuersis iterum radijs, mutata repente,
Rem nostram, & lætum prouehis imperium,
Quod licet aduoluas uehementi uxa rotatu,

Ipse

Ipse tamen didici non tibi habere fidem:
Et uideo uostras inter res quid sit, & illas,
Quod nos ut cupias non uariare potes:
Nempe usus rerum nobis patientior, illi
Assueti cum sint tristia ferre minus:
Si cui res igitur nimis affluxere secundæ,
Ordine mutatas ægrius ille feret.

DE Mundi gubernatione.

Est cælum, atq; illic superi qui humana tuentur?
Aut aliquos usquam credimus esse deos?
Vel si quis diuûm est usquam, mortalia curat?
Aut adeò superis conuenit esse leues?
Certè quicquid id est, quod numen habere putamus,
A quo persuasum est inferiora regi.
Instabile, infidum est, uarium, mutabile, fallax.
Quodq; nocet temere, quod temereq; iuuat.

INSCRIPTIO Gallici clypei ad Aquilam.

Quos tãdem in populos, aut quò se hæc lilia pãdent?
Aut quas hic serpens inuoluetur opes?
Inspice res Aquila, tibi luditur, erige pennas,
Nunquam cura tibi maior habenda fuit,
Effice cristati marcescant lilia Galli,
Et sit, qui Serpens debuit esse tuus.

DE GALLO ad Aquilam.

Ambitionis agrum circumuolitabat apertam
Gallus, ut hinc auido carperet ore cibum.
Visa est imperij species quasi rege uacantis.

Inuasit totis uiribus impar onus.
Nunc etiam attendit mentem, & defixus inhæret.
Et studijs summas omnibus ambit opes.
Recte, habet ingenium. Tu quid regina uolucrum?
Non hoc esse tuum, quod rapit ille, doces?

AD GALLVM.

Quo tibi Galle amor hic regnandi, atq; ista cupido?
Quin moderare animi uota, tenesq; modum?
Non potes ut cupias, Aquilam superare uolando,
Quantumcunq; alas contrahat illa suas.
Sæpe moras patitur, quæ cum properare necesse est
Tardè abeat quanquam, uertitur ante tamen.
Scilicet ut possis alios ita uincere Gallos,
Et generis uolucres istius ante uoles.
Contra Aquilam nihil est, quo tu merearis honore,
Vt folio cingas uel breuiore caput.
Par Aquilæ fieri desspera, haud uincere tantum,
Vsq; adeo pennas anteit illa tuas.

AD Gallum de Cæsare.

Quo sit nostra loco res, Galle audire laboras?
Recte habet, & placido est tota quieta statu.
Quid faciat Cæsar? tibi tantum irascitur aio,
Atq; unum id patitur, cætera lætus agit.
Lilia plus æquo tua nempe excrescere uidet,
Teq; ala nimium luxuriante uehi.
Proinde quid è folio decerpere cogitat illo,
Quem te intra teneas, constituetq; modum.

AD Aquilam de Gallo.

Cer-

Cernis ut Insubres migrarit Gallus in urbes?
Vt Mediolanum possideatq; tuum?
Cernis opes Italas hostilem inuadere Francum,
Quo tibi dotales eripiantur opes?
In te suspensas oculisq; animisq; tot urbes?
Auxilium populos totq; uocare tuum?
Tolle leues Aquila pennas, Gallumq; coërce,
Iam tua nulla quies suspicione caret.
Tolle Aquila has pennas, opus est torpentis in illo
Cunctari facto, desidiamq; pati.
Pande alas regina auium, Gallosq; coërcens
Desidiæ somno concita quære fugam.

AD GALLVM.

Pone modum, rebusq; tuis, animiq; furori,
Et quæ te supra est, ambitione uaca.
Vt Latium, quòd aues habeas, urbesq; Latinas,
Et tibi Germanum pareat imperium.
Tu tamen inferior, quàm ut possis ista tenere,
Quæ tentas, tergum hoc pondera ferre nequit.

AD EVNDEM.

Galle cupis Latij, & Romæ dominator haberi,
Regiaq; imperij munera Galle cupis.
Accipe, & ad tempus nostris te insignibus orna,
Adde Aquilæ pennas, hac patiente, tuis.
Quæ si quando suas repetitum uenerit alas,
Quos tu tunc risus nuda mouebis auis?
Desine cornicis furta ostentare periclo,
Emergit, sua quem, non quem aliena probant.

AD CAESAREM.

Iam tua turbatum nauis conscendit in æquor,
Icta procelloso discutiturq; freto.
Circum Euri Boreæq; fremunt, circũ omnia Cæsar,
Si qua solent medio terricula esse mari.
Heu portus inuade citò, ne dum occupet alter,
Excludare uago naufragus Oceano.
Ecce subit Gallus, & uento uela secundo
Expedit, ipse moram dum trahis, ille subit.
Heus, age rumpe moras, inuade, occasio Cæsar
Impatiens omnis optima quæq; moræ est.

GALLI Iactatio.

Pinguè mihi lucete fòci, mea lilia florent,
Victima Fortunæ concidat icta triplex.
Gallus ait, sacroq; ardete altaria fumo,
Nunc mihi sus, nunc bos, nunc cadat agna mihi.
Ille modo captus, capto patre ducitur Anguis,
Insubres parent, Cœnomaniq; mihi.
Ianua paret, opes Ligurum, Alpinosq; subegi,
Tam latè populos, Italiamq; premo.
Fortunæ, sed opima mea cadat hostia dextra,
Vltima spes, orbis imperium superest.
Dum iactat, cristamq; leuat porrectius æquo,
Ista audire potes? ferre Aquila ista potes?
Quin acuis rostrum, passosq; exurgis in ungues?
Et Gallum attacto pellis sub imperio?

AD GALLVM DE Fortunæ mutabilitate.

Multa cupis, Fortuna tibi cum plurima donet
Galle, nec hinc modus huic, nec inde modus tibi.
Debes ipse tamen fortunam nosse, ferendo
Plurima, sæpe nocet, dum ratio omnis abest.
Ipsa quidem cæca est, ut cui det, nesciat, & quid,
Nescit in euentum quem tibi donet item.
Ecce autem, quæ sunt mutantia tempora casus,
Lilia quam possunt ista uirere diu?
Friuola Fortuna est, tempus mutabile. Certè
Gloria sit quamuis magna, caduca tua est.

AD Cæsarem de Gallo.

Aspicis Italiam tumidos concerpere Gallos?
Liliaq; ad longum sparsa uirere Padum,
Aspicis insessas diris populatibus alpes,
Germanasq; urbes imperiumq; peti.
Vt te, ut nos serues, non expergiscere Cæsar?
Rapta tibi & dextra uindice, ab hoste rapis?
In medios dormite dies, ferte ocia segnes,
Tu facta, atq; opus est, maxima Cæsar adi,
Maxima adi, quo se longum diffundat in æuum,
Fama tua, extremos rerum adeatq; dies.
Aut si fama nihil, nihil hæc te gloria tangit,
Ne tu, ne totum hoc, quod superest, pereat.

AD CAESAREM, ut contemptum sui uindicet.

Factus es altiuoli opprobrium miserabile Galli,
Itala sunt risus plena theatra tui.
Cæsareæ spernuntur opes, spernuntur honores,

Somnus Teutonicas fertur habere Aquilas,
Germanos uina inter opes consumere, & æuum,
Venando patrium te peragrare nemus,
Germanam peregrè uirtutem habitare, tuisq;
Arma, uirosq; iam nunc urbibus esse negant,
Quòd tu non aliquas auscultans induis iras?
Vlcisci ut famam hanc, opprobriumq; uelis?

GALLOS superare nos gloria,
ad Cæsarem.

Verũ equidẽ fatear Cæsar, quãquã haud ita gratũ est
Gloria Gallorum est maior honore tuo.
Nulla tamen tua culpa inibi fortuna iocatur,
Dumq; premit Gallos, te facit esse leuem.
Aut operatur Ate factum istud Homerica totum,
In quemcunq; cadat culpa ea, nulla tua est.
Quicunq; iste deus tamen est, nisi fers malè sponte,
Tam facilè hæc abiges, quàm facilè ille dedit.
Magnum adeò incepti momentum est, incipe Cæsar,
Vt famam hanc abigas, ut pariasq; decus.

QVAM periculosa res imperium,
ad Gallum.

Imperium nescis quàm sit mala bestia Galle,
Quòd si fortè scias tantopere istud agas?
Nusquam adeo fortuna leuis, lasciuaq; nusquam est,
In nulloq; fuga est mobiliore loco.
Iam me Galle audi, Qua surgere contigit istuc,
Omnia ni fallant, hac ratione cades.
Nulla diu potis est durare superbia Galle,

Hoc

Hoc moneo, quoties tu nimis alta petis.
Iam tua mens nimium sublatam concita cristam
Erigit, interq; has læta triumphat opes.
Certè oblita sui. Quid enim si lilia, quæ tam
Nunc florent, sicco stipite flacca cadant?
Omnino ambigui casus, mutabile tempus.
Multa aquilæ uirtus Galle, minorq; tibi.
Parcius hæc cupiens, te contrahe, quinetiam (audis?)
Cæsare sub domino Galle fer imperium.

DE Gallo superbiente.

Hæc ceruice tumens, & uersicoloribus alis,
Quæ crista imperium despicit omne rubra,
Quæ mediocre nihil, nihil & moderabile secum
Voluit, & immensas concipit ales opes,
Æmula regnæ uolucrum, nimis alta uolutans,
Quæ cælum pennis nititur ire supra.
Si quicquam feret his olim successibus impar,
Quos risus nobis lapsa mouebit auis?

DE Gallo & aquila.

Nuper sydereas Gallus transcenderat alpes,
Terruit Italicos bellua torua duces,
At Mediolano postquam consedit in angue,
Conflauit magnos crista superba metus.
Nunc etiam Veneti depastus membra leonis,
Omnaq; Adriacum nactus adusq; fretum,
Successu nimium fortunæ elatus opimæ,
Aggressusq; suis uiribus impar onus,
Ausus ubi est Aquilæ nec opimas nectere fraudes,

Et pactum sociæ rumpere fœdus aui,
Rursus ad Insubres lacero redit agmine montes,
I nunc, atq; ultrà, quàm decet esse, para.

AD Maximil. Sfortiam restitutum.

Sfortia progenies, istis dignissime rebus,
Quæ tibi se lapso restituere patre.
Sfortia progenies, quem post tria lustra recepit,
A quo dispulerat sors recidiua loco.
Gratulor eiecto tibi se committere Gallo,
Insubriæ populos, Cœnomanosq; tuos.
Tendere in occursum reduci, matresq; uirosq;
Qui graue Celtarum deposuere iugum.
Ereptas gaudere urbes, animosq; tuorum
In te defixa spe, posuisse metum.
Et nunc ille uagas dispersо milite turmas
Bellicaq; infenso numine castra trahit.
Cæsareasq; Aquilas per non remeabile cælum,
Cæde uaga trepidum conficiente fugit.
Da ueniam fortuna uiris, qui te omnia nuper
Miscere, absq; ullo diximus arbitrio.

DE Gallo ex Italia fugiente.

Cur nunc ille fugit, demissisq; ambulat alis
Gallus, tot populis qui modo terror erat?
Cur lacero tergo fugienti, atq; agmine paruo,
Languida funesto sanguine crista madet?
Nempe quod antetulit tranquillis turbida rebus,
Supra Aquilam pennis ausus abire suis.
Senserat illa dolos & cum iam multa tulisset,

Rapta

Rapta laceßitis unguibus arma tulit.
Quisquis habere hostem mauult, quem posset amicũ,
Si ruat hic, dicas omnia digna pati.

DE tempestate aëris turbulentißima, in
Gallorum fuga p totam Insubriã orta.

Nunc ego te solum Gallis intendere uellem,
Consortemq; iræ non habuisse tuæ.
Nunc ego te uellem fugientia in agmina Cæsar
Non nisi mortales exeruisse manus.
Namq; ubi lenta tuæ uisa est clementia pacis,
Iratum Gallis sensimus esse Iouem.
Igne micat cælum, quatiuntur fulmine montes,
In sata tempestas hæc furit, inq; domus.
Horridus it terris lapidosa grandine nimbus,
Quaq; illi fugunt, omnia uentus agit.
Vellem quos decuit, uel qui meruere perissent,
Aut saltem dignos plecteret ista lues.
Nunc paßim Italicas immiscuit illa ruinas,
Et socios pœnæ Galli habuere suæ.
Per Ticine tuos, per quos secat Abdua campos,
Iugera per Trebiæ consita, perq; Pado.
Imbre iacet contusa seges, nec grandinis huius
Impetus innocuus frugibus ille fuit.
Constitit hoc tanti, sceleratam expellere gentem,
Nec sine communi est pœna reperta malo.
Quòd tamen hi fugiũt, quoaq; his regionibus absunt
Quæ data sunt faciet damna dolenda minus.
Nam neq; nunc sacras quisquam se armabit in ædes,

Et ſpolijs ipſos ſæuiet ante deos.
Fœda nec innuptis metuentur ſtupra puellis,
Securumq; prement fœmina uirq; thorum.
Tum quia tu pugnas, iuſtamq; exurgis in iram,
Non ultra in Gallos ſæuiat ira Iouis.

DE EADEM.

Poſtquam pacta leues ruperunt fœdera Galli,
Cæcaq; fraudato Cæſare bella gerunt.
Signa dedit tellus, ſignum dedit arduus æther,
Vltores rupti fœderis eſſe deos.

AD Maximil. Sfortiam Mediol. Ducem.

Effera crudelis refugata potentia Galli,
Hactenus amiſſum fleueris orbe patrem.
Caſus ulte tuos, captiuumq; ulte parentem,
Aggredere ereptas Sfortia uictor opes.

DE Pugna Nouariẽſi laus Ioachimi de Moltzhan Eq. Ger. cuius ea præcipua uirtute confecta eſt.

Nunc lauris hederas, hederis connectite lauros,
Et gemino meritum cingite honore caput.
Spargite humum folijs, manibus date lilia plenis,
Cum uiolis molles accumulate roſas.
Plaudite ſeruati ciues, clamate triumphum,
Et ſtata propitijs ſoluite uota deis.
Germano iuueni quos non debetis honores,
Auſpice quo tantas Gallia perdit opes?
Solus hic Inſubres tibi Sfortia reddidit urbes,
Solus ab indigno rettulit exilio.

Iam desertus eras, iam nil superesse uidebas,
Consuleres rapida ni tibi fortè fuga.
Ille subit, motáq; trahit tot milia ab alpe,
Teq; iubet refugum cum pede ferre pedem.
Quid faceres? Hinc spes urget, timor inde coërcet,
Donec ab ancipiti liberat ille metu.
Vix primæ Gallorum acies uidere ruentem,
Nudantur turpi terga suprema fugæ.
Vidisti hostiles medium turbare cohortes,
Atq; ea uisa graueis restituere animos.
Quos nisi sic faciat, nisi consilioq; manuq;
Te iuuet, hic potuit ultimus esse dies.
Ingredere ô, factisq; tuis dignum accipe munus,
Teq; triumphali fer Ioachime rota.
Hoc tibi seruati decernunt cum Duce ciues,
Laudet, amet prolem Saxonis ora suam.

DE VIRIBVS Gallorum.

Cum ductore ageret bellum sub Cæsare Gallus,
Fortis, & horribili Marte timendus erat.
At postquam ex causa discessit uterq; seorsum,
Naufraga sublato cortice fertur auis.
Nec uolat absq; alis, nec imit sine cortice flumen,
Nec uim seiuncto Cæsare Gallus habet.

AD MAXIMIL. Sfortiam.

Ne iuuenis demitte animum, ne cede periclo,
Ne sine te primo turbine destitui.
Transeat hostiles ardente Triuultius alpes
Agmine, in aduersum Gallia tota ruat.

At tibi se Cæsar, tibi se Germania fido
Ne modo desperet obtulit auxilio.

DE Cæsare & Gallo.

Arma gerens multas Gallus perterruit urbes,
Commoti Gallum Cæsaris ira fugat:
Tantum aliquid Gallus igitur ualet, & breue tēpus,
Omnia subiecto Cæsar in orbe potest.

AD GALLVM expulsum Italia.

Ne tibi turpe puta, nec sit tibi Galle pudendum,
Quòd nunc Cæsareo cesseris imperio.
Quos poteras, armis uicisti, ea gloria magna est,
Contra summa potest Cæsaris arma nihil.
Tum si debueras uinci, solatia præstat:
Quòd te qui uicit, maximus ille fuit.

DE CAESARIS magnitudine.

Bella gerunt Reges, quoties sua causa lacessit,
Non nisi quod magnum est, uincere Cæsar amat.
Tunc cum parua fuit, nec tanta potentia Galli,
Quanquam hunc cur posset tangere causa foret,
Tangam ait, at postquā est nacta ista superbia summū,
Nunc quota uenturæ portio laudis erat?
Degeneres animi contra imbecille feruntur,
Non nisi quod magnum est, uincere Cæsar amat.

AD MAXIM. Sfortiam.

Sfortia pone metum, contempto exurge periclo,
Heluetium peditem fert Ioachimus Eques.
Pugnandum est, pauidos tu pande Nouaria muros,
Ex te etenim Gallis illa procella ruet.

Perdi

Perdideras patrem, seruabis strennua natum,
Vertit enim facilem sors recidiua rotam.

AD IOachimum de Moltzhan.

Cui datus es miles bello, dux factus eodem es,
Vidit & armari, & uincere tempus idem.
Dux Tyro, confestim uirtus maturuit in te,
Quid mirum? summis hæc uenit ante diem.

DE GALLO Italia pulso.

Testis erit Gallus, paulò ante insigniter ausus,
Non esse in dominos arma gerenda deos.
Nam cum ultra uires quiddam tentaret, ab illo,
Quem se sperarat uincere, uictus abit.
Tanquam aliquid sese indignum fortuna tulisset,
Primum illi uicto repsit in ora pudor.
At postquam cura ratio mentem egit ab illa,
Altius est casus intuitusq; suos.
Arma tuli temere, quoties irascitur, inquit,
Numen habet Cæsar, numine uincor ego.

AD Maximil. Sfortiam.

Sanguine nunc Ticine rube, nunc sanguine Lari
Infice Teutonicas cæde fluente rates.
Qua fugunt Galli, si non tenet omnia miles,
Claude uiam cœpti Iupiter effugij.
Hæc aliquis, iusti superos mouere precatus,
Grassati in Gallos dijq; hominesq; simul.
Nunquam ita terribili luxerunt fulgura motu,
Turbauit sumptum turbidus imber iter.
Sfortia progenies, pro quo mouit omnia mundus,

Eruit.

Erumnosa patris desine fata queri.

AD EVNDEM de Francisco patre.

Tam poterat uixisse diu, superesse tot annos
Sfortia, præscisset si tua facta parens.
Nunc dolor, & rapti mala desperatio regni,
Heu misero uegetos comminuere dies.
Discite mortales rebus proferre caducis
Spem longam, & nullis cedere sponte malis.

AD REGES terrarum.

Qui Gallum Reges uinci Venetosq; uidetis,
Inuito moniti Cæsare habete nihil.
Si quis enim uestrum tantum irritauerit hostem,
Non poterit summis uiribus esse satis.
Maxima res Venetûm, res maxima credita Galli est,
Atq; hos coniunctos sustulit ille simul.
Iam si quis sumptis bellum experietur in armis,
Frustra spem sera collocat in uenia.

DE MAXIMIL. Sfortia.

Cœnomanæ gaudete urbes, Insubria gaude,
Et gratare tuo libera facta duci.
Respexit fortuna graues miserata querelas,
Quod quondam abstulerat, restituitq; bonum.
Da ueniam perijsse patrem, complectere natum,
Spem patriæ, & tanti reliquias generis.
At tu inferne parens, isto gauise triumpho,
Elue Sequanici carceris opprobrium.

DE INgressu Cæsaris in Italiam.

Castra quòd Insubres penetrarunt Cæsaris urbes,

Quod

Quòd Trebiam, quòd iam transijt ille Padum.
Mota quòd iratos fundit Germania Rhœtos,
Sæua quòd in Latium promouet arma Lycus,
Franca quòd Ausonijs, se miscent agmina turmis,
Itala Teutonicas quòd uidet ora manus.
Non tu Roma time, uerum arripe lætius omen,
Non nisi qui nocuit Cæsaris arma timet.

IN PICTVRAM de Cæsare.

Nuper retrogrado quidam te insidere Cancro
Pinxerat, hoc titulo: Tendimus in Latium,
Hoc quid erat, nisi quod cupias, nec uincere possis,
Et quoties aliquid cœperis, ire retrò?
Sed pictura fuit, contrà res uera secuta est,
Pro Cancro tellus Itala uidit equos,
Vidit equos, uiditq; uiros, nos te auspice Cæsar
Non iam retrogradi tendimus in Latium.

DE GALLO fugente.

Ille ardens animi, feroxq; Gallus,
Gallinarum aliquot salax maritus,
Nuper purpurea nimis superbus
Crista, multicoloribusq; plumis,
Torta quàm caput altiore cauda,
Collo splendidus aureo monili,
Flagrans undiq; lilio uirenti,
Qui gentes Italas nouum stupentes,
Ad raptum, impete terruit citato,
Nunc languens animi, albicante crista,
Plumis deficientibus, trahensq;

Caudam ponè, suas fugit relinquens
Gallinas, sua lilia, & sua arma.
Dic Fortuna, uel ipse rectius dic,
Quid te Galle tibi abstulit repente? aut
Quò tandem ille animi uigor resedit?
An qui somnia dormiebat alta,
Per te est excitus, irruitq; Cæsar?

DE VICTORIA Cæsaris adueršum Gallum.

Vicimus, & Latio Gallos deiecimus armis,
Vt iuuenis nostra Sfortia regnet ope.
Vicimus, ille fugit, qui nos paulò ante premebat,
Cum premeret, pactam non tenuitq; fidem.
Disce fidem, & quod inis regum ditissime fœdus
Seruare, haud superûm ius uiolaq; deûm
Vt possis homines deluso fallere pacto,
Crede mihi, superis non ita uerba dabis.

DE FOEDERE Gallorum cum Venetis.

Fœdera coniungunt Veneto, cum milite Gallus,
Hinc atq; hinc Latios ut subigant populos.
Itala terra tremit, populos metus ille Latinos
Concutit, & mentes abijcit ambiguas.
Horret & ipsa prius tantos experta furores,
Aduocat ultores anxia Roma deos.
Pacem Cæsar habet, Germania tota quiescit,
Nec quam quis petijt ferre uidetur opem.
Quorsum hæc? ut summas postquã res traxerit iras,

Mœsta

Mœsta luant Galli, mœsta luant Veneti.

VENETORVM minæ.

Desperant Veneti secum, extremumq; minantur,
Auxilium Turcas, auxiliumq; Syros.
Dum tu magna facis, sine ut illi magna minentur,
Heu mihi, quàm distant omnia facta minis.

DE CONIVRATIONE VENETORVM & Gallorum.

Magna Iouis uolucris gelida spectabat ab Arcto,
Pacem, quam populis fecerat ipsa prius.
Protinus hinc Veneti furia importuna Leonis,
Hinc Galli armatas explicuere acies.
Illa quidem, ut steterat, primos requieuit ad ausus,
Et passa est aliquid se uigilante rapi.
Quæ postquam hostiles auxit patientia uires,
In medio Latij mœsta tulere duces.
Tentor (ait) nimium, subitasq; ut mouerat alas,
Continuò Gallus hinc fugit, inde Leo.
Ille quidem Insubres madefecit sanguine montes,
Nescio quæ Venetos ulteriora manent.

IN ANNVM M. D. XVI. prognosticon ad Leonem X. Pont. Max.

Quæ se horrenda mouet superi? quæ dira redūdant
In genus humanum? flagrat proh Iuppiter omnis
In clades Europa suas, Respublica Christi
Heu nimium secura sui, ruit in sua præceps
Viscera, crudelisq; ciet miseranda tumultus,
Omnis in Italiam tendit furor, ipse minatur

Horrendam Latio stragem Saturnus, & atro
Increpuit Martem intuitu, Mars arma necesq;
Sanguineum molitur opus, sæua omnia regnant.
Concessit de iure suo, graditurq; retrorsum
Iuppiter, & totum dat acerbis cladibus annum.
Idq; adeò metuens, & non ignara futuri
Bis petit obscurum, & condit se Luna tenebris,
Ipse quoq; inducta pallet ferrugine frater.
Tot signis monuere dei, præsensimus omnes,
Cauit nemo malum, sed nec potuisse putandum est.
Autores dij cladis, & accusabile fatum.
Ecce ergo aërias ruit hac à parte per alpes,
Effusura omneis iterum Germania uires.
Substitit iratus Veronæ ad mœnia Cæsar,
In Latias speculatus opes, traxitq; feroces
Rhœtorum populos, & amantes bella Sueuos,
Francorumq; equitum nunquã expugnabile robur,
Vindelicasq; manus, & abactum montibus illis
Heluetium peditem, tum quicquid Rhenus & Ister
Quas uires celer Albis habet, peregrinaq; regum
Auxilia, Scythicos metuendo Pannonas arcu,
Et te Beme armis inuictum, equitemq; Polonum,
Hispanosq; alacreis, quo non animosior ullus
Expugnare urbes populus, neq; segnior audet,
Parte alia Gallorum acies, iamq; optimus annis
Confertum rex agmen agit, raptumq; tuetur,
Insubriæ fines, & agri ditissima regna
Cœnomanos, Ligurumq; urbes, alpeisq; subactas.

Dant

Dant animos iuueni patriæ prædiuitis aurum,
Successusq; sui, uolucres in bella sequantur
Allobrogum turmæ, pugnantesq; eminus arcu
Atrebates, tum qui lõgæuæ ab origine gentis.
Se numerat Biturix, suetusq; ad prælia Vascon.
Vtilior pugnare pedes, Rhodanumq; colentes,
Quiq; bibunt Ligerim, tum quòd te Sequana ripa
Vulgus utraq; uidet, quiq; impete Celticus acri
Fertur eques, quos dehinc iuuat auxiliaribus armis
Vrbs Venetûm, fatisq; suis obnoxia fertur
In commune nefas, cincta est feralibus armis
Italia, & possessa malis, nec iam ipsa salutem
Vltrà aliquam potis est sperare, peritq; uidendo,
Posce deos ueniam supplex leo, & omnibus aris
Innocuas protende manus, sacrisq; litatis
Iratos placa superos, pax incubet orbi,
Et toties sperata tuis, & debita uotis.
Iam satis hoc luimus, superet de sanguine nostro,
Quòd melius liceat rabidis offundere Turcis,
Hostiliq; Asiæ, Solymum quo uindice templum
Infestis auferre Syris, diumq; sepulchrum.

QVI ET Quales imperium
Italiæ ambiant.

Regna petunt Latij, Venetus, Germania, Gallus,
Fraude nocens, uinoq; madens, nimiumq; superbus
Dignæ odio gentes. Vinci Italus orat Apollo
Italiam leuiore iugo. Gens perfida semper
Phœbus ait Venetûm, gens semper Galla superbit,

Non ſemper Germana bibit, lege de tribus unam.

DE IMBECILLITATE Galli.

Parturiunt montes, ille exit ridiculus mus,
Cinnama promittit Gallia, præſtat olus.
Crediderant Itali uenturam è montibus illis
Quam poſſet bello uincere nemo manum.
Turba ruit, leuis Atrebates, & fœmina Picton,
Huicq; ſuperſtitio Parrhiſiana comes.
Inſuetusq; mali Leucus, quiq; impete primo
Non potis in longum, Celticus urget eques.
Commentorq; fugæ Biturix, timidiq; Cadurci,
Et quos iam toties uicimus, Allobroges.
Inſubres rapiuntur opes, ſeſe obuia produnt.
Sfortia ſe uendit, dat ſua regna Ligur.
Quos tunc non plauſus, quos non decepta triũphos
Ædebat tellus Itala Galle tibi?
Cæſar adeſt, pugnamq; petit, tu uix bene uiſo,
Non ruis, ut pugnes, ſed ruis ut fugias.
Deſinite ulterius Itali confidere Gallo,
Non potis eſt, ſiquid cepit, habere diu.
Adde, quòd hæc armis non uicerat, emerat auro,
Hoc tandem eſt illi uincere, regis opus.

DE EADEM.

Ver erat, extulerat pugnax ſua lilia Gallus,
Florida biſſenis menſibus illa tulit.
Ver iterum, gelida mouit ſe uentus ab Arcto,
Neſcio quis, ſubitò lilia flacca iacent.
Et miramur adhuc, quæ tam breuè lilia florent?

Quin

Qu in finimus dubijs rebus habere fidem

DE GALLORVM & Venetorum amicitia.

Aurea secla iterum redeunt, Saturnia regna.
Nunc Cumæa tibi est facta Sibylla fides.
Cum canibus timidi uenient ad pocula damæ,
Intra se hostiles claudet ouile lupos,
Nimirum coëunt inimica, per omnia pax est,
Cum placido Gallus pacta Leone ferit.

DE EADEM.

Viui uenimus huc, superstitesq;,
Iungi sic inimica cerneremus,
Gallos atq; odij inscium Leonem?
Atq; hoc credere quis potest nepotum,
Cum Gallo æquoreas coisse Ranas?
Vel iunctos ita cum Leone Gallos,
Aduersus Aquilam petisse signis?
Hæc audacia magna, at illa maior,
Si pacto patientia est fideli,
Inter se coëuntium duorum.

AD CAESAREM de coniuratione hostili.

Respexere dei te Cæsar, hoc unde putemus?
Haud exempla rei, res facit ipsa fidem.
Cum Gallis Venetus discordibus irruit armis,
Se nouat, inq; tuas bellum iteratur opes.
Proijcit ampullas Veneti maris unda, tumescit,
Iamq; suo maior robore Marcus adest.

Credo equidem solium Iouis illum & sidera fastu
Poscere, nec mundi regna putare satis.
Luxuriantem animum compesce, libidine uincta,
Atq; animi uotum contrahe Marce tui,
Quantumcunq; bono ueniant tua carbasa uento,
Siste tamen, properam cursu imbibeq; ratem.
Successus urgere tuos, nimis alta petendo,
Eniti, quàm sit res metuenda uide.
Sic illum, qui rem melius nouere, monebant,
Et meliore fide, perfurit ille tamen.
Respexere dei te Cæsar, ad ultima uentum est,
Oderunt hominum cuncta superba dei.
Nec dubita pactum hoc discordia quanta sequatur,
Cuius plena uides omnia perfidiæ.
Vnus in hoste labor iuncto, uictoria duplex.
Et bene credemus non tibi uelle deos?

DE BELLI qualitate ad Germanos.

Quàm sapit ille, graui qui temperat utile honesto,
Nec temere ullius fertur amore boni.
Regna petũt Veneti, sed nõ sua, quàm sit honestũ hoc
Haud operæ precium perspicere esse putant.
Vt rapiant, socijs armant se in prælia Gallis,
Iamq; adeò tentant Cæsaris arma palam.
Iungantur Gallis Veneti, nos causa tuetur,
Quæ quoniam iusta est, spem iubet esse ratam.
Vltores sperate deos, iniuria belli
Quos premit, interea corripite arma tamen.
Ignauos odere dei, uigilantibus adsunt,

In

In coniuratos corripite arma uiri.

DE BELLO Veneto ad Cæsa.

Bellum ingens oritur, proh numina, materia apta est,
Quàm sibi desumat quodlibet ingenium.
Magnas cogit opes magno molimine Gallus.
Nec Venetis sumpta est acrior ira prius.
Tranquillus petitur Cæsar, tantiq; paratus
Vnica Germanum causa fit imperium.
Spe magna gerere arma datur, iam te obijce Cæsar.
Hac te cunctari res tulit ista tenus.
Vltrà omnis damnosa mora est, magna hostis aditur,
Sed quæ se uinci sustinet ira tamen.
Quorum utrumq; armis superauimus ante seorsum,
Quis prohibet iunctos exuperare duos?

QVALE sit hostium fœdus ad Cæsarem.

Ille adeò semper Venetorum cognitus hostis,
Cum Venetis tandem fœdera Gallus init.
Da specimen Germane tui, rumpe ocia Cæsar,
Totq; lacessitus prorue in arma modis.
Omnis in euentus rerum Italus arriget aures.
Mentem illis nouitas adijcit, his adimit.
Expauêre aliqui, tum plebs ignara futuri,
Vt possis satis his uiribus esse, timet.
Ne timidis Cæsar concede, hoc fœdere Gallum
Creuisse, atq; igitur robur habere duplex.
Non ut amet Venetos, ut te oderit, istud iniuit
Fœdus, & hoc dubitas, qua tenus esse queat?

EPIGRAMMATA

DE FOEDERE cum Gallis Venetorum.

Pace inimica diu Venetis & fœdere iuncta est
Gallia, degeneres terreat hoc animos.
Iuratum est in te Cæsar, iamq; arma parantur,
Te contra, & ciues expedienda tuos.
Incursus terrore tui, iam dum acrius instas
Qualibet hos iungi conditione facis.
Res bene habet, nisi quos committere fœdera cogis,
Cogere ad hæc eadem dissoluenda nequis.

DE EODEM.

Thure piate deos, onerate altaria donis,
Cum Veneto Gallus semileone facit.
Iuncta semel disiuncta diu discordia concors
Hæc tandem eximij causa laboris erit.
Grata uiri soluenda deis, cadat hostia, rectè
Sic cum Germanis an dubitamus agè
Materia ingenti sese obtulit ista triumpho,
Nunc quæri decus hoc, nunc honor iste potest.
Tantum (ut cum Venetis metuam se iungere Gallos,
Atq; hostile in nos surgere fœdus) abest.

HORTATVR ad pugnam.

Pugnandum, Euganeas conciuit ab æquore Ranas
Gallus, & optiuo nomine Marcus adest.
Expuit hostiles uento incitus Adria spumas,
Contra Aquilam, patrij murmuris usus ope,
Res bene habet, siue hanc pugnemus in aëre pugnã,
Siue in aquis, terra seu capere arma iuuet.

Pen-

Penna Aquilæ rostrumq; ingens, ungueq; reduncī.
Lumen, & inuerso sole probata acies.
Pectus & ingenium & præstanti robore corpus,
Tum regnum hoc auium, tum fauor ille Iouis.
Pugnet eques, pugnetq; pedes, rate nauiget æquor,
Quisquis in Austriadem comparat arma Aquilā.

AD CAESAREM.

Auctæ hostis Cæsar uires, atq; aucta potestas,
Armaq; ab aduerso congeminasse uides.
Non iubeo timeas, sed ne contemne periclum,
Tum uerò ut soluas ocia, tempus adest.
Tempus adest, age rumpe moras, & somnia differ,
Iam uigilant Galli, iam uigilant Veneti.
Surge age, cunctatum satis est, tum ritè quiesces,
Cum tibi quem cures, non super hostis erit.

DE IVLIO II. Pont. Max, orbem Christianum in arma concitante.

Concitat iratum bellator Iulius orbem:
Effera pacificos induit arma duces.
Tela dat Italiæ, tibi dat Germania bellum,
Hoc turbante domo prodit Ibera quies.
Impulit audaces eadem uesania Gallos,
His facibus Venetas ardor adusit opes.
Vltima ab hoc flauos dedit insula mota Britannos,
In commune Scotus contulit arma nefas,
O ubi nunc Turcæ, sed inexcusabile bellum,
Orbis in exitium commouet unus homo.
Omnibus arma dat unus homo, bellum omnib. unus,

Idem

Idem publica res efficit ut pereat.
Vt Christi perimantur oues, turbetur ouile,
Pascat & admissos caula adaperta lupos.
Hæc rabies placido dimouit uincula Iano,
Hæc furia impleuit omnia cæde noua.
Atq; huic qualis erat (neq; enim bonus) illud ouile
Credidimus, miserum credidimusq; pecus.
Toti quinetiam regem præfecimus orbi,
Nomine pastoris, nomine pontificis.
Dira uenenato soboles latro prodite partu,
Hic Christum, hac sequeris conditione Petrum?

DE GLADIO Iulij.

Ille sui longo successor in ordine Petri,
Mere nouo tantas res agit, & studio.
* Nam neq; pro populis orat, paci relictus,
Quod faceret Petrus, sacra fidemq; docet.
Verum bella mouet, gerit arma, & sanguine gaudet,
Nimirum Paulum prætulit ille Petro.
Paulus habet gladium, sed non ferit, occidit illo,
At malus hic multis intulit exitium.

DE EODEM.

Huc barbam Pauli, gladium Pauli, omnia Pauli.
Clauiger ille nihil ad mea uota Petrus.
Hoc simul edixit, pro Christo accersere mortem
Vltro credidimus, duraq; uelle pati.
Tum uerò occinuit funesto classica cornu,
Continuò præceps mundus in arma ruit.
Hoc Pauli tibi barba pater, tibi suaserat ensis?

Hoc istæc licuit arma tenere modo?
Quem gladio decet occidere, haud occidere Pauli,
Aut satis armatum clauibus esse Petri.

DE IVLII Perfidia.

Iulius à Phrygio qui legit nomen Iulo,
Et cui nunc rerum contigit esse caput,
Discite quos tanto dederit cum nomine mores.
Quo iure Assaricis adnumeretur auis.
In dubios casus auidum cum Cæsare Gallum,
Abstulit, ablatos deseruitq; citò.
Non seruasse fidem, destructæ infamia Troiæ est,
A Troia in nostros hoc trahit ille dies.
Neptuno Phœboq; Phryges promissa negarunt,
Exemplo geminos fallit & ille duces.
Perfida bis ueteris ceciderunt Pergama Troiæ,
At quando, aut quoties perfidus ille cadet?
Vna luit, decimum dum bellum ducit in annum,
Laomedontæam Græcia clade fidem.
At feret hunc Gallus, feret hunc Germania pugnax,
Callida disposito pacta ferire dolo?

AD PRINCIPES Christianos.

Sic perijt pudor, & perijt prudentia Reges?
Sic iuuat in cladem uos sine mente trahi?
Atq; ipsos suasore iuuat uos perdere Iulo?
Vecordes monitis in scelera huius agi?
Et cum nondum Asiæ bellum, Ægyptusq; negarint,
Intestina domi conserere arma iuuat?
Aut quasi pauca fero ueniant hæc commoda Turcæ,

Sic

Sic propriæ uisum est cladis amore trahi?
Inq; uicem uos ciuili consumere bello.
Vt super exhaustos uiribus ille ruat.
Ah pudeat Liguremq; sequi, dum suadet, Iulum,
Et tandem placeat consulere in medium.

DE IVLII instituto.

Iulius assumptis Petræum clauibus ante
Cœperat ire gregem.
Continuò lupus acer oues inuasit, & atrox
Miscuit exitium.
Ille datis Petri diffisus clauibus, actas
Liquit inermis oues.
Nec mora Paule, tuum quo se tueatur ad ensem,
Non propria arma ruit.
Ecce autem insueto contra sua castra paratu,
Dum uidet ire lupus.
Indoctum gladij, quæ non bene cœperat egit,
Deserere arma ducem.
Contemptas recipit Petrus sua munera claues,
Qui ferat, alter erit.
Nescius at Paulus ne quis sua conserat arma,
Priuat & ense uirum.
Quas nunc ducet oues, quæ nunc in pascua, mancus
Clauibus & gladio?

IN IVLIVM DE statu urbis Bononiensis.

Olim clara uiris, & splendida uatibus olim,
Fortuna nullis inferiorq; locis,

Mœret apud patrium deserta Bonona Rhenum,
Cum res perdiderit perdideritq; uiros.
Mœret, at interea uastator Iulius audet
Dicere, prouectum uindice se in melius,
Siccine res hominum, tu siccine prouehis urbes,
Pernicies uatum, nobilitatis, opum?

DE IVLIO.

Pertæsum est Petri, nunc Iulius esse laborat,
Martia contemptis clauibus arma gerit.
Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν,
Hanc summam laudis prædicat ille suæ.

DE IVLIO Allusio.

Iulius est Romæ, quis abest? date numina Brutum,
Nam quoties Romæ est Iulius, illa perit.

DE GALLO ET Cæsare
iamiam pugnaturis.

Arma per Insubres Gallorum hinc, Cæsaris inde,
Mutuum in exitium rapta tenentur agros.
Vtrimq; atra uiris rabies, & sanguinis ardor,
Stat ferro, & dubia cæde petita sequi.
Non licuit superi tantum seruare cruoris?
An nisi cruda parant uulnera cuiq; suum?
Et causam his dederit tuus ille uicarius armis
Christe, tuumq; omni perdat ouile modo?
Tu casus Fortuna regis, te iudice certant
Gallorum inde acies, Cæsaris hinc acies.

DESCRIptio Iulij.

Qui chalibe & duris amicitur Iulius armis,

Terribilis barba, terribilisq; coma.
Cui toruos horrore oculos frons occulit atrox,
Tartareæ ignescunt cuius in ore minæ.
Ille inquam gladijs, atq; occidente sagitta
Et terra populis, & metuendus aquis,
Qui trucibus reges terrarum innexuit armis,
Qui tetrum excito seuit in orbe malum.
Ille tot exitiorum, & tanti criminis autor,
Quo se cum populis imminuere duces,
Quiq; manu, quiq; ingenio dira omnia patrat,
Natus in humanum pestis acerba genus.
Cuius opus mors est, turpissimus ocia luxus,
Qui pacem cunctis abstulit, arma dedit,
Ille inquam talis cum uita & moribus extet,
Dissimilis Christo, dissimilisq; Petro.
Quid facit, aut quid habet, quod tandē dicere possis
Dignum Romani nomine pontificis?

DE INdulgentijs Iulij.

Fraude capit totum mercator Iulius orbem,
Vendit enim cælos, non habet ipse tamen.
Vēde mihi quod habes, nā quò pudor, ut mihi uēdas,
Ipsum te Iuli cuius egere uides.
Quin fera centimanos emittat terra Gigantes,
Iulius expulso uendat ut astra Ioue.
Donec enim cælos alius regit, & tonat inde,
Non ego tam magni mutueris emptor ero.

DE EISDEM.

Nunc ego terq; quater uenturæ gaudia uitæ,

Et

Et quædam, quæ sum uix habiturus, emi.
Accepi tòties tabulas, impressáq; ceræ
Nomina, sed tantum nomina cum tabulis.
Illud & hoc temere, neq; enim sperare quis ausit,
Empturum se, quæ uendere nemo uelit,
Aut si fortè uelit, quæ nemo uendere possit,
Cum cælum solus, qui bene uiuit emat.
Iam uero ut risu hoc dignum (tanquã esse beatum
Testibus hic egeat) signa peti & tabulas?

IN IVLIVM.

Omnia turbantur, retro omnia uersa uidentur,
Qui bene non uiuat, posse beare alios?
Cum multos ferroq; neces, atroq; ueneno,
Cum scelere occiderint millia multa tuo.
Cum tibi funesti sint sola negocia belli,
Ocia monstrosæ conscia luxuriæ,
Cum dicas faciasq; nihil, nisi turpe malumq;,
Interea cælum expendis Iule tamen?
Idq; aliquis credat, cui mens in corpore sano
Sana sit, & Christum, qui putet esse deum?

DE IVLIO.

Hunc scelerũ autorem tantorũ, hunc fraudis amicũ,
Cui requies bellum, pax odiosa fuit,
Omne libidinis genus usq; ad monstra notatum,
Quo dare quid peius dij tibi terra queant?
Non tantum esse malum permisimus, esse beatum
Credidimus, mundi pertulimusq; caput,
Exhaustas igitur diuino lumine mentes,

O & in errorum rusticitate uagas.

AD IVLIVM.

Dic mihi sancte pater, cælestis tantor aulæ,
Cui geritur summæ relligonis apex.
Qui Reges regis, atq; locas relocasq; Tyrannos,
Qui nutu soluis cuncta, ligasq; tuo.
Qui sanctos facis, & cui conuiget esse beato
Ante obitum, qui nos ante obitamq; beas.
Quid tibi bombardis opus est? quid equisq; uirisq;
Quæq; armata præit, quæ sequiturq; manus?
Hastarumq; ista segete, atq; horrentibus armis?
Quid cinctura opus est hac, gladijsq; tibi?
Omnia quid trahis hæc, aut cur sanctissime tanto
Belli opere expugnas oppida, castra, domus?
Nonne manu poteras, tremulo simul ore, leuata
Hos dare dijs subitò manibus, hosq; deo?
Certè omnes Petri similes, aliterue probatis
Moribus, hæc possunt omnia pontifices.
Quid dicam? an quoniam malus es, diffisus & armis
Pontificum, & præceps Martis in arma ruis?
O in te erratum mundum, qui, cum ista facessis,
Non uidet à Petri te procul esse uia.

AD CAESAREM de Germaniæ statu.

Quando erit ut lumen Germaniæ capta resumat,
Hinc Romam ut uideat seq; suumq; trahi?
Quando erit, ut bullas, auroq; parabile plumbum
Orbe aliquis uendi cernat, emiq; alio?

Aut

Aut tua perpetuò, quòd nunc Germania Cæsar,
Ludibrium Romæ diripientis erit?
Quum mũdi imperiũ, & caput hoc mũdi imperij q̃
(Nam possum haud aliud dicere) Roma tua est.

AD CAESAREM DE
bello Veneto.

Sanguinis effusum ciuilis Cæsar abunde est,
Iam credo hoc ducet Iulius ipse satis.
Accipiant Veneti dominum te, Gallus adoret,
Publica Christicolæ fœdera inite duces.
Te reuehat celebri Germania læta triumpho,
Dehinc Asiam Christo cogat habere fidem.
Summa sit hæc rerum, uota hæc communia sunto,
Quod uelit ille deũm rector habere ratum.

AD CAESAREM IMPERA
torem Maximilianum Epi=
grammatum finis.

VLRICHI AB HVT=
TEN EQVITIS GERMANI
pro Ara Coritiana, quæ est Romæ,
Epigrammata.

PRopitius quondam Cretæis Iupiter oris,
Propitius fertur Sol habitasse Rhodi.
Pallas Athenæas præsens respexit ad aras,
Mœnalio statuit Pan sua sacra iugo.
Thura dat æquoreo Tenaros gratissima regi.
Fert Iuno altrici uota precesq; Samo.
Dilexere pios Phœbeia numina Delphos,
Syrtica cornigero fumat arena Ioui.
Præcipuè Maia genitum Cyllenia placant,
Templa, Venus Paphia sustinet urbe coli.
Amphitryoniaden propriè colit ultima Gades,
Vulcanoq; magis Lemnia sacra litant.
Falsis ista deis, cultu meliore dicata est,
Ara salutifero Coritiana deo.
Hic natum, matremq; roges, auiamq; licebit,
Non falsos uera relligione deos.

PRO EADEM.

Coritiana pios uenerari sacra poëtas,
Atq; ea carminibus semper adire nouis,
Vrbe aliquis tota defectas uatibus aras
Dum uidet, afficitur, in dubiumq; uocat.
Qui statuit, uatum pater est, sibi propria uates,
Desine mirari, templa statuta colunt.

VOTVM pro se in morbo pedis.

Orbe perarato terra omnia passus & undis,
Nunc etiam raptum peste agitante pedem,
Coritij pietate noua deuoluor ad aram.
Hac auia, hac mater, hac tibi nate prece,

Da morbum cessare pedis, da robur ademptum,
Sic nunquam his desint, cæráq; thusq; focis.

PRO ARA Coritiana.

Certum est Coritij patris sacellum,
Quod fecere alij prius poëtæ,
Non libo colere, aut mola recenti,
Nec cæso boue uictima cruenta,
Sed uersu, ingenioq;, qualecunq; id,
Da mi Musa aliquid nouum, dedisti
Quod non his alijs prius poëtis.
Consumpta est ait, ut nihil supersit,
Omnis copia tot prius poëtis,
Iuuat me tamen, & iuuabit usq;,
Quæ sors cunq; mihi sit, experiri,
Quiddam ad Coritij patris sacellum.

PRO EADEM.

Quot se uere nouo diffundunt gramina campis,
Et quot tunc passim floribus albet humus.
Monte Hybla quot alũtur apes, quot acerba pruinas
Fundit hyems, quot habet sidera uterq; polus.
Quot grauis autumnus dulces uindemiat uuas,
Sicca quot è Lybicis grana teruntur agris,
Quot folijs uaga sylua uiret, quot sidus inundat
Pleiadum guttis, quot fouet Ida feras,
Quotq; in Atho lepores, quot in alto gurgite pisces,
Quot patula uolucres aura aramantur aues,
Non bene quis numerat, sed nec numerare facultas,
Coritij uersus quot ferat ara patris.

EIVSdem ad Columneñ. Romanos Episc.

Dij medio in Latio solidam posuere columnam,
Qua Iouis interdum fessa quiescat auis.
Bellum erat, exierant Galli, exierantq; Leones,
Thuscus, in Euganea quiq; palude regit.
Fessus ibi quoties requiem sibi posceret Ales,
Fulciuit gratas illa columna uices.
Si numeres annos, medio si in Marte labores,
Hanc molem belli sustinuisse putes.
Viue columna diu, nulloq; intercide lapsu,
Quæ colis imperium sola, teneśq; fidem.

VLR. AB HVTTEN AD CROTVM RVBIANVM DE STAtu Romano, Epigrãmata ex urbe missa.

Vidimus Ausoniæ semieruta mœnia Romæ.
Hic ubi cum sacris uenditur ipse deus.
Ingentem Crote Pontificem, sacrumq; Senatum,
Et longo proceres ordine Cardineos.
Tot scribas, uulgusq; hominum nihil utile rebus
Quos uaga contecto purpura uestit equo.
Tot Crote qui faciunt, tot qui patiuntur & illos,
Orgia qui uiuunt, cum simulent Curios.
Rursum illos, qui nec simulant bona, nec bene uiuũt,
Qui rident mores, exibilantq; bonos.
Quos iuuat esse malos, quib, & licet, in iuga quorũ
Consensit miseris Teutona terra modis.
Qui dant, quiq; uetant, qui quos clausere recludũt,

Arbitrio cælos distribuuntq; suo.
Romanas, neq; enim Romanos, omnia luxu,
Omniaq; obscœnis plena libidinibus.
Atq; hæc post Curios, Pompeios atq; Metellos,
O mores atq; ô tempora, Roma tulit.
Desine uelle sacram imprimis Crote uisere Romam,
Romanum inuenies hic, ubi Roma, nihil.

DE EODEM.

Vendit Roma deum, uendit sacra, uendit honores,
Ipsaq;, quod mirum est dicere, Roma uenit.
Vsq; adeo nihil est, quod non ibi comparet aurum,
Scilicet, ut fiat aurea Roma iterum.

DE ROMANIS ut nunc.

Dicunt sancta patres, operantur peßima Romæ.
Quidam etiam dicunt nec bene, nec faciunt.
Relligio tamen & Christus iactantur ab illis,
Tollitur, & paßim prostat imago crucis.
Et piscatoris gliscunt patrimonia Petri.
Vibrantur magni fulmina pontificis.
Vestit summa pedes à uertice purpura longum
Pone sequens, dicas uiuere simpliciter.
At nisi me fallat, sed nunquã adeò omnia fallunt,
Istà ouium miros uestit imago lupos.

OMNIA Romæ pecunia redimi.

Ite uiri, conferte manus, & uiuite rapto,
Cædite, de sacro uellite, obite nefas,
Ite, profana sacris miscete, assuescite luxu,
Omne uoluptatum per genus ite uiri.

Dicite, & ex ipso facite omnia pessima dicto,
Scilicet, & nullos esse putate deos.
Vidimus hæc Romæ fieri (quid sanctius illa?)
Et tamen ad cælos non minus esse uiam.
Aurum quisq; ferat Romam, uirtutis abunde est,
Summa furit Romæ qui bona nescit emi.
Quinetiam ut facias emis auro turpia Romæ,
Quæ cum ita sint, dico quod prius, este mali.

DE STATV Romano.

Liquit Auentinas arces, Tarpeiáq; saxa,
Et debellata cætera in urbe Petrus,
Proq; Petro subit ille Simon, regnatq; per aras,
Et debellata regnat in urbe Simon,
Nescio quò captiua ratis, Ecclesia quò se
Proripuit, Romæ est tale uidere nihil.
Vendit sacra Simon, uenditq; prophana perinde,
Atq;, ita me Christus, omnia uendit, amet.
Non tutum est emere ista tamen, licet emeris auro,
Redditur à plumbi stemmate bulla grauis.
O bullas, atq; ô Romam, regemq; Simonem,
Sacra emere, & Romæ uendere sacra licet?

DE EODEM ad Germanos.

Quis modus ô ciues? Quò se hæc patientia tandem
Profert? hæc Romæ quærimus, atq; emimus?
Sic nos bulla capit? sic se Germania nescit,
Vt petat hæc? sic nos ista sigilla iuuant?
Χρύσεα χαλκείων, & adhuc mutatio peior,
Tantum auri, ut redeant plumbea signa, dari.

DE EODEM ad eosdem.

Cæca magis cuiquam mens est, magis indiga lucis,
Quàm cælum Romæ, qui sibi credit emi?
Aut qui quantum auri est, quenquã putat esse beatũ?
Quando illic auro uita beata uenit.
Qui stygias contemnit aquas, neq; triste ueretur
Supplicium, Romæ cælica fretus emi?
Aut non ipse Petrus summa excandescat ab ira,
Esse aliquem, cælum qui locet, ipse malus?
Proinde nefas ciues fugite, atq; inquirite rectum,
Hac uobis cælum merce licebit emi.

DE QVODAM mortuo Episcopo ad Germanos.

Occidit antistes, petite altera pallia ciues,
Quæ dabit accepto Romulus ære Simon.
At tu, donec habet cerebrum Germania nullum,
Et nullos oculos, pallia uende Simon.

QVINq; Gallis se inuadentibus.

Desinite irasci sine causa & crimine Galli,
Quæ meruit Cæsar, non ea culpa mea est.
Ille apud Insubrem bellorum ambagibus urbem,
Districtus casu uoluitur ancipiti.
Quam licet expugnet, licet his peruincat in armis,
Aut quiduis faciat, non ea culpa mea est.

AD EOSDEM.

Oraui pacem Galli, orauiq; salutem.
Ne solum dixi perdite, quinq; uiri.
Quinetiam offendi quia nil uos, parcite Galli,

Cæde fera innocui sanguinis esse rei.
Nec multæ ualuere preces, promissa salutis
Innocui mores nec peperere mihi.
Quin morere unus ait, Cæsar te hoc uulnere Cæsar
Immolat, & morti tradit amore sui.

AD EOSDEM.

Inuitus Galli uobiscum hanc consero pugnam,
Si libet, expertes cædis habete manus.
Cædis habete manus, nec me facite esse nocentem,
Dum capio uestro forsitan arma malo.
Sin est illa mei sitis importuna cruoris,
Vt tangant nullæ pectora uestra preces,
Iam quiddam ipse manu audebo, contráq; resistam,
Indecorem ne quis dicat obisse necem.
Audebo, & quoniam iustum antè æquumq; poposc
Non flectam posthac ulteriore prece.
Este autem memores, quid possint fasq; nefasq;,
Atq; hominum curam credite habere deos.
Tum uerò immenso uires gliscere periclo,
Et desperatis sæpe redire deum.

AD SEIPSVM EODEM
in periculo.

Vsq; adeò ne mori miserum est? timor omnis abesto,
Fortè aliquid secum nostra ruina trahet.
Me patiar Gallos terrere his uocibus ultrà?
Conuelli ignauis ipse puterq; minis?
Aut ubi proposita est mors, & fuga mortis adempta,
Armorum miserum ui cecidisse putem.

Quin

Quin hæc una mihi potius solatia mortis,
Et iuuat has igitur præcipitare moras.
Vos testes prius este dei, ferre arma coactum,
Multa adeò Gallos præmonuisse diu.
Tum iactasse preces, uoluisse occidere Gallos,
Insontis flecti non uoluisse prece.
Iam certum est tumidis uitam hanc effundere Gallis,
Dij faxint, horum concidat illa malo.

GALLO ab se cæso.

I, morere, & Stygias tecũ hoc Galle affer ad umbras,
Esse aliquem, Gallos qui neget esse deos,
Qui uici tamen, et quem tu æquo haud Marte petisti,
Oßibus ipse tuis molle cubare precor.
In me quinq; uirûm tua proxima dextera uisa est,
Testis ero, & uulnus, quod tuli, ab ense tuo est.

IN QVINQVE GALLOS,
ab se profligatos.

Non pudor est Galli? non est scelus? ense petistis,
Vnius Hutteni corpora quinq; caput.
Fert fortuna nefas, non fert deus, hoc ego dicam?
Aut aliquis dicto poßit habere fidem?
Quinq; dedisse fugam, atq; uni dare terga coactos?
Hos paulò ante minis uerberibusq; feros?
Ne tamen ulla meo scribatur gloria facto,
Vicit enim Gallos (non ego) quinq; deus.
Vicit, & insontem tulit ægre inuadier armis,
Et nihil in mortem qui meruisset agi.
Gloria prima deo, qui me seruauit, ut illos

Per-

Perderet, & uicit (non ego) quinq; uiros.

AD QVENDAM Romæ Episcopum insignem medicum.

Vrbe frequens tota te prodit Episcope rumor,
Posse pudendagræ pestis obesse malo.
Audiui, exilui, dubiam spes ardua mentem
Erexit, trepidos deposuiq; metus.
Ne contemne tamen, si quid Germania sperat,
Cum Rheno Tagus est iunctus amicitia.
Regnorum est idem dominus, rectorq; duorum,
In bellum gentes causa agit una duas.
Miscetur castris socio Germanus Ibero,
Hinc habet, atq; illinc Carolus imperium.
Fœdus habet populos, amor atq; unita uoluntas,
Imperio Gallos exuere & Venetos.
Per patriæ gentis, sociæ per gentis amorem,
Perq; quod utriq; est fœdus amicitiæ,
Communesq; deos oro, & socialia iura,
Hospitis Huttenu commiserare uicem.
Deseruit reliquum morbi contagio corpus,
Mansit in extrema calce relicta lues.
Tu potes effreni medicinam opponere morbo,
Tu potes hærentes pellere relliquias.
Ne sine te frustra iuuenis Germanus adoret,
Sed quoniam potes, his artibus affer opem.

AD MAXIMILIANVM Cæsarem accepta Laurea.

Flaccescunt lentæ salices, & perdit honorem

Gloria

Gloria ſyluarum fraxinus alta ſuum.
Nudat hyems patulas fagos, platanosq; uirentes,
Rareſcit tactis ulmus opaca comis.
Nec ſemper tiliæ uirides, & populus ingens,
Quam mox occulerat, tonſa renudat humum.
Hoc molles facium uiolæ, ſic lilia marcent,
Nutrit odoratas & breuis hora roſas,
Se quoq; q̃ pulchra eſt, non ſemper amaracus effert,
Quod fuerat perdit, nardus odora decus.
Quod gratũ eſt, nõ ſemper habet narciſſus, & aufert
Quam tibi præbuerat formam hyacinthe dies.
At uiret extremum Phœbo ſacra laurus in æuum,
Bacchica perpetua fronde uireſcit helyx.
Sic, niſi non rectè mea mens ſibi conſcia, Cæſar
Si tibi quid ſcribam, non morietur opus.

IN TEMPORA IVLII SATYRA.

HOc mens illa hominum, partem ſortita deorũ
Et pars ipſa dei, patitur ſe errore teneri?
Has ruitin tenebras? adeo ſine lumine ferturs?
Vt ſcelere iſte latro pollutus Iulius omnu,
Cui uelit occludat cælum, rurſusq; recludat.
Cui uelit, & poſſit momento quemque beatum
Efficere, aut contrà, quantum quiſcunq; bene egit,
Et uixit bene, ſi lubeat, detrudere poſſit

Ad

Ad Stygias pœnas, & Auerni tartara Ditis;
Et quod non habet ipse, alijs diuendere cælum;
Vsq; adeo errori diuina obnoxia mens est,
Vt piscatorem posse omnia uertere Iulum
Credat? & inuito cælos expendere Christo?
Et nunc ille uagum spargit promissa per orbem,
Qui cædem & furias, sceleratáq; castra sequantur,
Se duce, ut his cælum pateat. Qua fraude tot urbes,
Et tot perdidit ille duces, tot millia morti
Tradidit, & pulsa induxit bella acria pace,
Tranquillumq; diu discordibus induit armis,
Et scelere impleuit mundum; fasq; omne nefasq;
Miscuit; imq; isto caueret cum classica motu,
Naufraga direpti finxit patrimonia Petri;
Vindice se bello asserere, atq; ulciscier armis,
Quoq; minus sibi uerba dari quis sentiat, implet
Maiestate nefas, & stipatoribus illis
Grande facit nomen, iamq; est Ecclesia Christi
Latronum illa manus. O seclum, ò pectora cœcis
Nubibus, & miserando à se immutata stupore.
Lucem ipsam, & nudum non agnoscentia uerum;
Obductum nebulis uanum admirantia fucum.
Non hominem penes est, cæleste expendere donum;
Nedum hoc ille latro sceleratum uendat in usum.
Tum quantum à Christo est alienum, hoc pacis alūno
Sanguine commaculare manus? & cæde nefanda
Perfurere? illa autem diuinæ habitatio pacis
Qui sorte hæredes Ecclesia uenit ad istos?

Præd

Præterea, quis recta sequi, iustumq; tueri
Vlterius sanctum ducet, si præmia uitæ
Ille ferat, morum parte inquinatus ab omnē?
Ille ferat non uir, qui quæ patiturq; facitq;.
Si tribuas aurum, faciasq; ipse, & patiaris,
Condonat, labemq; adimit, purumq; reducit?
Siccine res superum est, humano obnoxia ludo?
Quin animum capimus ciues, ad nosq; redimus,
Et rectè atq; piè uiuentes, summa putamus
Regna deûm nobis cessura, ipsosq; beatos,
Et sanctos fieri, quos non sanctissimus ille,
Verum opera ipsa beant, eademq; superna recludūt
Haud claues, nullum quas hic ueterator in usum
Ostendit populo, iactatq; in simplici turba.

VLRICHI AB HVTTEN EQVITIS GERMANI AD INuictissimum Principem Maximilianum Ro. Imperatorem, ut bellum in Venetos cœptum, prosequatur, Exhortatorium.

PRAEFATIO.

IN loco audacem esse apud te, si peccatum est Cæsar, peccaui ego, qui hoc ad te exhortatorium concinnaui imprudens. At quid istius temporis aliud facerem? Tantisper libitum insanire est, dūtiper ætatem possim opera tibi aliqua mea prodesse. Quod si

nunc

nunc æquanimiter feres, quàm mihi bone Iupiter ad gebis ad scribendum industriam? Plane in te aliquod est confidentiæ huius stabulum. Ita iam pridem habui isti multos alios. Et potes ita nosse teipsum, ut rectius putes à nobis te uerò laudari, quàm falsò à Venetis uituperari. Quibus enim nõ impetiuerunt te contumelijs? Quam non ignominiam tibi obuertere conati sunt, impuri homines, semper in regum ac principum existimationem coaxantes Ranæ? Nec suo id incommodo. Iam experimento cognitũ est enim, quæ sit hominum de Venetis opinio, quam sua ista sibi petulantia pepererunt, immensum uidelicet nominis huius odium, quod per omnem passim Europam disseminatum, iam olim, nunc tandem, aperiente te fenestrã, ac omnem confestim cunctationem abrumpente. Vnã hanc pestem te indignam fortuna alit, qua isti confisi insolentes homines, nulli pepercerunt flagitio, & à nullo temperarunt dedecore. Qua in re, ut de alijs taceam, quid nõ moliti sunt, quo te obliquum aduersus contumeliosam hanc suam potẽtiam euerterent, quas non fallacias intenderunt? quibus non technis circũuenerunt? quas non fraudes commenti sunt? Nuper illi feroces quidem, sed uicti abs te armis, nunc pacem quod unum est illis suæ perfidiæ asylum, apud te inire student, scilicet quo inopinantem post expeditius opprimant, hoc iam tum commenti sunt nefas, hoc inuenerunt consilium. Quos, si quando nõ dico omnes, aliquas saltem dico tuas uires effundere uoles, ita con

tum-

tendes, ita proteres, ut ipsa si cupiat salus, seruare à te incolumes non possit. Quid igitur tanti est, cur nolis in ceruicibus Venetorum collocare nos? Sed audi, quid ego in uersibus, declamatorem agens, luserim.

AD LECTOREM.

HOc animi iuuenilis opus, meliora sequentur,
Tu modo temporibus suffice Parca minax.
Iam rudis hoc æui est, crescet crescentibus annis
Vis illa, assiduis usibus alta petens.
Primitias teneri iam nunc lecture poëtæ
Olim, ita sperandum est, uberiora leges.
Quæ te nunc diffusa umbris defendit ab æstu,
Quo creuit platanus tempore, uirga fuit.
Nil magnum est subitò, cuius nunc ista leguntur,
Quale tibi scribet uir modo factus opus?
Synceriter, citra pompam.

SI tua quàm nota est Venetis clementia Cæsar,
Tam perspecta prius cognitaq; ira foret,
Non tandem hic saperent, genua ad tua uoce coacti
Supplice, tu cassas respueresq; preces.
Quàm facilè aduersos sequitur prudentia casus,
Omnis consilium præbet amara dies.
Triste prius quæ bella decem tulit Ilion annis,
Dum gaudet, modico tempore ferre nequit.
Omnia cum Venetis pro uoto ac nutibus essent,

Quæ fortuna fuit, non potuere pati.
Nunc postquam clades fortuna inuexit acerbas,
Rem desperatum transtulit inq; statum.
Deserti atq; inopes extrema per omnia currunt.
Quæq; iterum faciant irrita, pacta rogant.
Quis Veneti furor est, ut pacem oretis ab illo,
Cui paulò ante omnes opposuistis opes?
Quem, cum pace frui possetis, in arma uocastis,
An non hoc uestrum est: Si potes, arma cape?
Iussistis ferre arma, tulit, commercia pacis
Atq; omnis ueniæ sustulit illa dies.
Desinite ulterius sperare, & credere famæ,
Quæ nos clementes quæ facilesq; uocat.
Tunc manibus decuit ueniam implorare supinis,
Cum stetit intacto Cæsare uestra acies.
Grassati ferro, igne, ruistis in omne periclum,
Tentastis pugnam, pugna sinistra fuit.
Nunc uicti, quoniam possunt nihil arma, paratis,
Qua facilè est uobis uincere, pacis opem.
Cernimus insidias moniti, ne tendite frustra
Retia, iam nostro cognita sæpe malo.
Fallite inexpertos, uetus est hæc captio uestrum,
Qui potis est, nec uult uincere, fœdus init.
Detur ab insidijs tamen hoc procul esse, dolisq;
Et seruare datam uos didicisse fidem.
Culpa tamen maior, quàm cui quis parcere possit,
Vestra est, & seram uertitur in ueniam.
Non est consilium, quòd quis re iam malè gesta

Rep

Repperit, in facto qui sapit, ille sapit.
Poscitis amotis in pace quiescere castris,
Vosq; prius moniti non uoluistis idem.
Desinite inuiti ueniæ. Tu maxime Cæsar
Tam cupidè Venetis arma rogata cape.
Quod petiere ferant, quoniamq; occasio præsens
Versatur, magnæ præmia laudis adi.
Quod nisi contineat tua te clementia retro,
Vllaq; susceptum causa moretur opus.
Actum est de Venetis, te Maximiliane sequetur
Splendidior priscis gloria Cæsaribus.
At tibi si nondum causæ satis esse uidetur,
In bellum tantæ laudis amore trahi.
Si cur arma geras, nulla est tibi gloria tanti,
Vt tueare tamen libera iura, tuum est.
Vis Italas urbes, magnæ uis mœnia Romæ
Visere, & in ueteri quæ tua sunt Latio.
Contrà audet Venetus conatu exercitus omnis
Tendere, & à cœptà te prohibere uia.
Idem multa tibi rapuit, centumq; per annos
In spolijs Veneti consenuere tuis.
Qui te sponte sua petiere, ultroq; lacessunt,
Qui tibi multa, tuo qui rapuere patri.
Quiq; tibi primi bellum indixere uolentes,
Quid sinis impunès exeruisse manus?
Posce tuos, coëant populi, ferat arma iuuentus,
Quæ nunc insolita lenta quiete sedet.
Adde animos causæ, ne te commorit inultum,

Cui nunc maiestas sordida facta tua est.
Cui nunc, quòd patrijs es tardè uiribus usus,
Germanum uisum est degenerasse decus.
Quid, quòd in arma uocant, & te petiere priores?
Ah pudet à Venetis quemlibet ista pati.
Sed quibus à Venetis? à piscatoribus illis,
Mœnia in Euganeo qui posuere freto.
Nam qui nunc terras lata ditione gubernant,
A quibus hoc ipsum nunc mare nomen habet.
Et qui Germanas ausi contemnere uires,
In te præcipiti turbine Cæsar eunt.
Hos aliquis scabram piscatum ducere cymbam
Vidit, & Adriacum lintre secare uadum.
Ipsum etiam tantæ urbis opus, cultissima rerum
Mœnia, & in medio consita regna mari.
Ductaq; marmoreis ingentia tecta columnis,
Tecta, uel auratis splendida culminibus.
Quæq; super nihil est humano nobile luxu,
Si quæras, unde est? una rapina fuit.
Prima quidem genti Phrygio de sanguine origo,
Atque Antenoreis prodijt à Venetis.
Sed quam turpe scelus natiuis expulit oris,
Vt procul à terris has habitaret aquas.
Cum quibus exulibus nihil acrior addita uirtus,
Quodquod in immenso dedecus orbe fuit.
Prima uiris tenuem piscatu quærere uictum
Ars erat, & magno parua labore sequi.
Creuit opus, creuit: fortuna adigente: potestas.

Et primo lucrum iustius illud erat.
Post ubi se manus hæc opibus firmauit ademptis,
Paulatim accessu est facta superba nouo.
Huc quibus innocui lucro fuit ara cruoris,
Et quibus ad cædem prompta nocensq; manus,
Accedunt, patriaq; sua priuata iuuentus,
Aut aliquo saltem nubila facta modo.
Et quibus auxerunt tenueis periuria census,
Et quibus hæc nouitas spemq; animosq; dedit.
Quosq; frequens cumulus alieni propulit æris,
Et si quis patrias dilapidasset opes.
Et cupidè repetita quibus fuit alea damno,
Consciaq; in quoduis mens sibi facta nefas.
Hi iuncti Venetis ubi piscatoribus essent,
Erexere nouos arma uiriq; duces.
Decretum est properè furtiuas ponere sedes.
Et contra ultrices tecta locare manus.
Ergo sibi in medio statuunt noua mœnia ponto,
Mœnia ab incursu salua futura leui.
Tunc occulta prius latè grassata rapina est,
Iamq; palam gens est uiribus ausa suis.
Qualis ad aspectum primi gregis, omnibus agris
Aut lupus, aut rabidus perfurit ore leo.
Quem uesana fames ieiuni uentris adegit
In patula è tutis ire periclo locis.
Cauta legit primum pauido uestigia gressu.
Vitat & oppositas callidus insidias.
Dehinc ubi tuta fugæ prospexit, apertius audet

Grassari, medium prosilit inq; pecus.
Non quisquã auxilio properè subit, impete primo
Pastorem, & timidos terruit ille canes.
Haud secus ausa noui furibunda libido senatus,
Incubuit terris incubuitq; mari.
Conuentum ad prædam, rapitur terraq; mariq;,
Quicquid in occursum se dederat Venetis.
Primum ibi finitimi subitos sensere latrones,
Paulatim á patria est sumpta rapina procul.
Protulit inscenso classem leuis aura Timauo,
Atq; aliam inscenso protulit aura Pado.
Hinc sparso Illyricos uastauit milite campos,
Viribus his Italas Adria fregit opes.
Quæ tamen oblata est ciuili occasio bello,
Quod primum ancipitem perdidit Italiam.
Pars decepta dolis consensit in hospite frustra,
Pars est pro patria nisa suisq; mori.
Quos ita diuersos Veneti oppressere ruentes,
Quiq; hostis, temere creditus hospes, erat.
Ad Pataui muros antiquam Antenoris urbem
Fulserunt Marco splendida signa suo.
Capta urbs est gentis caput, extinctumq; uetustum
Est Veneti generis nomen ab urbe noua.
Successit Verona potens, quæq; oppida circum
Belligeri ripas murum habuere Athesis.
Tunc etiam longo sed forsitan interuallo
Acta est ad dominos ampla Rauenna nouos.
Mantua tentata est, subijt Vicentia bello,

Sub-

Submisit lentum Brixia pulchra caput.
Nulla quidem antiquam cinxerunt castra Cremonā,
Sed misere ciues deseruere sui.
His nondum contacta dedit se Crema procellis,
Inde Placentinos hostis obiuit agros.
Frustra aries spissos Mutinæ conuellere muros
Conatus, frustra Felsineosq; fuit.
Imola tunc monita est, allecta Fauentia, sensit
Parma dolos, structas fortis ad insidias.
Hæc Calabras urbeis arma, hæc adiere Sycanas,
Corneliumq; forum, Flamnineamq; uiam.
Quo Mediolanum, quo tota Insubria bello
Vt poterant, nullas opposuere manus.
Tempore diuerso res has gessere, nec uno
Momento tanti uim peperere mali.
Forsitan historiæ quisquam feret ordine scriptor,
Nos ut se memori quæq; dedere animo.
Inde Tridentinos perdit Germania montes,
Quiq; omnes habitant montibus his populos.
Abstulit Illyricos idem impetus, abstulit Istros,
Seq; dedit Verso Marte Liburnus ager.
Quanta esset, potuere pati Cretensia classem
Arma, sed Adriacos non potuere dolos.
Victa dolis Crete, multas secum abstulit urbes,
Inq; illo posita est, insula si qua mari.
Thracia tunc partem, tunc partem Græcia perdit,
Insidias rectè fertq; uidetq; Rhodus.
At tu uicinis frustra monefacte periclis

Rex Cypri, Veneto credis, habesq; fidem,
Infelix gener, & monitis frustrate paternos,
Ne quicquam temere fraude petitus agas.
Ergo atrum bibis exitium, mixtoq; ueneno
Præmia sunt Venetis regia facta Cyprus.
Interea uirtute sua miserata ruentem
Italiam, ultrices Ianua cogit opes,
Sæuit eques terris, Tyrrhenum possidet æquor
Miles, & instratas classis obumbrat aquas.
Succumbunt Veneti, mandata stipendia pendunt,
Sic illos uinci Ianua posse docet.
Qualis ubi imbellem leporem, damamúe trementem
Fert lupus, aut pauidam de grege tractat ouem.
Dum sedet, & pedibus prædam complectitur uncis,
A tergo celeres audijt ire canes.
Ipse fugit, uitaq; timet, prædamq; relinquit,
Quam bonus elapso saluat ab hoste Crotus.
Talis in Adriacum spectata est Ianua Marcum,
Conatum à patria ferre palude pedem.
His tibi cum Venetis res est, hæc gentis origo,
Hæc facta, hi mores, hæc scelera, hiq; doli.
Sic cœpere prius, dehinc accreuere, superbæ
Hæc series urbis, conditio, hicq; status,
Vt pudeat, quos ora Ligus, quos Ianua uincit,
Hos contra inuicti Cæsaris ire manum.
I tamen, & quoniam rerum hæc fortuna tuarum est,
Fer modicas laudes, exiguumq; decus.
Rectius eoos peterent tua signa Tyrannos,

Impe-

Imperiumq; Asiæ, Threciosq; duces.
Rectius Ægyptum superasses, pulchrius iret
Sub iuga Iudæus, sub iuga nostra Syrus.
Nunc cum te in modicos titulos fortuna releget,
Laus est à media summa adeunda tibi.
Scilicet, ut parui imbelles uicisse negoci est.
Tu modo delectu uiq; fruare tua,
Hostibus Euganeis ita bellum inferre necesse est,
Ne pariat magnum parua fauilla rogum.
Sæpe hæc Cæsaribus posita stetit obice contrà,
Vrbs hæc fortunis obstitit una tuis.
Vendidit hæc Turcis urbes, hæc uendidit arces,
Hæc Byzantinum prodidit imperium.
Quo minus has Aquilas Asiæ uideantq; tremantq;,
Quo minus hoc sceptrum mollis adoret Arabs,
Non tu Turca ferox, nec quisquam ex hostibus autor,
Sed Veneti, nunquam qui tenuere fidem,
Quiq;, ubi communi uoto Respublica Christi
In bellum uires contulit unanimes,
Pro ritu sacrisq; suis, uitaq; suorum,
Finibus imperij, relligione patrum,
Aut ipsi pro se cessant, cœptumq; morantur,
Aut perdunt socias proditione animas.
Omnino in Venetas sumenda est ultio fraudes,
Morbidaq; hoc pars à corpore habenda procul.
Ac uelut membrum, si quod sacer ignis adurat,
Siue lues cancer immedicanda uetus,
Accurrunt medici ferro, partemq; recidunt,

Ne totum tracta defluat illuuie.
Vrbs hosti sperata, tuis contraria uotis,
Si sinis, Illyricum prodet &, Italiam.
Donec enim superant, fraus, impostura, doliq;,
Pactaq; iuratis insidiosa deis.
Virus & insidiæ, non te sinet esse quietum.
Hoc tu de Venetis scisq; feresq; diu?
Iam quoq; conanti Latium tibi & Itala regna
Visere, se medijs opposuere uijs.
Aspicis hæc, poterisq; pati, Cæsarq; uocari?
Quin agis, atq; orbis te caput esse doces?
At quisquis facit hos contra, dijs non facit æquis,
Et cum fortunæ numine bella gerit.
Creuit enim, uiresq; iterum tenet Adria summas
Et se uictori surripuit Liguri.
Non erumnosum piscando quærere uictum,
Non ultra laceras anxia habere casas.
Imperiosa mari, fortuna elata secunda,
Et plusquam breuitas temporis ista sinit.
Vince tamen, cœptumq; armis, tantoq; paratu,
Prosequere hoc bellum uiribus use tuis.
Sæpe quod in summum ascendit, multosq; per annos
Creuit, in occasum dispulit una dies.
Quod si Marte tuo respublica concidet illa,
Quæ res nunc tanto cœpta labore tibi est,
Signa sui clarè dabit hic fortuna fauoris,
Quæ si quid uoluit, dataq; rapitq; citò.
Vix tria dum Venetûm duraui secula regnum,

Et

Et tamen hac uisum est amplius urbe nihil.
Atq; adeò armarit sua ut hanc petulantia contra
Germanas uires Cæsareumq; decus.
Vince inquam Cæsar, nec te fortuna moretur,
Terreat aut, solos uisa sequi Venetos,
Quæ fuit his propior, primis fauitq; sub annis,
Hæc eadem uerso cardine tristis erit.
Quid metuis, ne qualis erat, fors perstet in illis,
An nescis uarias rebus inesse uices?
Si quicquam istarum potuit se extollere rerum,
Illud idem casu temporibusq; ruet.
Inspice tot mundi discrimina, & inspice casus,
Omnia nostra uaga mobilitate labant.
Quicquid habent homines, rapidũ uersatur ad axem
Et per inæquales itq; reditq; rotas.
Ipsa sedens medio radios moderatur ab axe,
Fortuna, & tantum sedula uersat opus.
Stant homines, circumq; suis data tempora rebus,
Omnia fœmineum flexa sub arbitrium.
Qui modo summus erat, uel qui modo proximus illi,
Cum uolet hæc, agili pronus ab axe cadet.
Quæ paulò ante oculis cum te spectaret iniquis,
Iniustas Venetæ sustulit urbis opes.
Crede mihi, ancipitem cum uerterit irrita molem,
Hunc rerum integrum non sinet esse statum.
Adde, quòd & sceleris piget hos, uenũq; precãtur,
Dum quanta est, patuit numinis ira tui.
Sed quia nulla fides illis, qui pacta resoluunt,

Et quia non unquam fœdere stare solent,
Quanquã pacis emant prætextũ, & munere captẽt,
Tu tamen è cœptis propositumq; tene.
Nullus in admisso ueniæ locus, undiq; causa est,
In Venetos clemens cur habeare minus.
Quando odiosa tuæ facta est clementia pacis,
Virtutemq; tuam, criminis instar habent.
Quando tibi nocuit, quod tu prodesse putabas,
Iam tandem ire tibi Cæsar in arma licet.
Sume animos, ueniamq; nega, num parcere fas est,
Qui prior, & causa non agitatus obest?
Aut dabis huic ueniam, qui cum requiescere posset,
Indixit rupto fœdere bella tibi?
Da tamen, & misso pacem largire duello,
Si pax cum Venetis, suspicione caret.
Instabilis seruare fidem nequit Adria proles,
Naturam patrijs traxit ab æquoribus.
Nemo dat Adriacis, quanquã uidet esse serenum,
Fluctibus, inducta nauita puppe, fidem.
Hoc scit nauta rudis, Venetos tu fœdera credis
Firmius Euganeo posse tenere freto?
Huicq; dabis ueniam, qui si te posset in armis
Vincere, non pacis congrederetur ope?
Qui creuit fallendo, atq; hac se munijt arte,
Et qui quos iurat, non putat esse deos.
Præterea Venetos tibi bellum inferre pudendum est,
Si quando externis fama dabit populis.
Tu caput es rerum, tibi terræ subdidit orbem

Pars

Partitus geminum Iuppiter imperium.
Iuppiter est cælo summus, sub Cæsare terra est,
Hic sibi mortales subijcit, ille deos,
Quantum est à nigris Nabathæis finibus Indis,
Phœbus ubi rutilum prouehit axe diem,
Ad fines America tuos, quaq; arduus Atlas,
Alta pruinosis sidera fert humeris,
Quantum est à gelidis septem regione trionum
Partibus, ad pluuio regna subacta Noto,
Quanquam ita nõ habeas, totum te spectat ad unum,
Quicquid inest terris, sub tua sceptra cadit.
Omnia cum tua sint, & se tibi debeat orbis,
Cum subsint regno, terra fretumq; tuo,
Cumq; nihil rerum te sit sublimius uno,
Quid pateris ciues te uiolare tuos?
Iam populosa tuam sequitur Germania laudem,
Tu modo quid iubeas, fortiter illa geret.
Non eget admonitu, cupit ire, ac sponte laborat
Vlcisci, & laudes accumulare tuas.
Sentit enim Venetos, plus quàm decet esse, superbos,
Te plus clementem, quàm decor iste ferat.
Verum est: nulla salus bello est, paciq; studendum,
Euentus dubij cœcaq; diua monent.
Hostibus hæc metuenda tuis, si numina cælo
Sunt, quibus hoc bellum suscipis auspicibus.
Causa bona est, sumptis admissum ulciscens armis
Dedecus, hi læsis te petiere deis.
Arguit hos scelerum cumulus, tua causa deorum est.

Nec

Nec magis hæc nostra est ultio, quàm superum.
Quæ mora ducendum est dilatum tempore bellum,
Hic te clementem terminus esse uetat.
Iulius his pacem dedit, & socia agmina iunxit,
Et tua subducta pacta fefellit ope.
Iunxerit, & dederit, sed tu mirabere, fœdus
Qui tenuit nulli, non tenuisse tibi?
Sic tibi fallaces Ligures, sic Ianua nota est?
Italicæq; artes, pontificumq; fides?
Ducent auxilio Turcas in prælia, ducant,
Quicquid habent Asiæ, Thracia quicquid habet,
Quas Sulthanus opes, una est Germania contra.
Et si tu moueas, sufficit una tibi.
Imperet in populis Asiæ, Phrygiasq; per urbes,
Horrida terribilis sceptra Othomanus agens.
Arma regat Scythiæ, regnet Dacisq; Getisq;
Danubijque ferox frenet utrumq; latus.
Belligeros Thraces, Pontique ferocia regna,
Sauromatas premat, Massagetasque truces.
Quaque fremit Pontus, Leandri insignis amore,
Cuius complecti milite possit aquas.
Bysanthique amplas teneat, quas abstulit, arces,
Regnet in Armenios, Cappadocasque suos.
Velocemque Tygrim iuxta, Prusamque potentem,
Pamphyliamque omnem dirigat & Lyciam.
Occupet Euxinum, Tanaim, & Mœotidos undas,
Qua rigidus crudo Marte Gelonus ouat.
Riphæasq; arces, pulchrumq; Boristhenis amnem,

Regnum agat in Medis, per Cilicasq; uagos,
Per Macedum campos, Oethæoq; ad loca saltus
Edita, Pierijs nobilitata sacris.
Quaq; piger refluis ludit Mæander in undis,
Ægeum ad pelagus, Ioniumque fretum.
Seruiat huic, quicquid Peneius alluit amnis,
Bebriciæque urbes, quas Galatæque colunt,
Pareat Ioniæ tellus huic, Cares adorent,
Omniaque ad Tauri consita utrumque iugum.
Cantatique urbes Pelopis, perque Arcadas omneis.
Barbarus hoc leges tempore Turca ferat.
Ius Hierosolymis dicat Sulthanus, & omnis
Oppida Iudææ sub ditione regat.
Per Syriam tonet, atq; Arabes uastißimus ille,
Et terat imperij fulmine cuncta sui.
Flumen ad Eufratem, Nilique per ostia septem
Regnet, Idumæas sub pede calcet opes,
Hic ubi odoriferis nascuntur thura Sabæis,
Balsamaque, & longo cinnama agenda mari.
Imperet urbe Tyri, quaq; est rarißima Phœnix,
Ægypti in terras, Æthyopesque nigros.
Caldæosque & opes regis moderetur Erythræ,
Et circum Pharij littora rubra maris.
Ad sacras Iordanis aquas, Memphitis ad urbes,
Imperio Meroën claudat, & Aßyrios.
Ingentem Babylona regat, Gazamque potentem,
Hasque omneis Venetis uiribus addet opes,
Omnia pro Venetis, pro te Germania pugnet.

Hæc

Hæc manus ad bellum sufficit una tibi.
Non opus est, flaui ducantur in arma Britanni,
Vtq; armet populos Gallia magna suos.
Non opus est, equitem trahere in tua castra Polonũ,
Aut in opem Scythicas ducere Pannonias.
Adde nihil nobis, siquid Germania priscæ
Laudis habet, si quid Martia turba potest.
Si qua uiget nobis ex rebus gloria gestis,
Franges hoc Venetas milite diuitias.
Prima Tridentini maturent prælia ciues,
Omnis ab excussa sæuiat alpe furor.
Et formidati Venetorum clade Tyroli,
Exeat Alpini bellica uis Athesis.
Spargat in accursum Venetis, quos Enus inundat,
Quiq; timenda lauit Rhœticus arma Lycus.
Post sibi finitimos moueatur Brisga Trebotes,
Proq; aliquid ueteri laude Sueuus agat.
Arma gerant Bauari, linquant sua rura Nemetes,
Aduolet & felix Austria bella gerat.
Tum chalibem, durumq; excudens Styria ferrum,
Carnus, & in pingui rure Carinthus agens,
Vangio, Vindeliciq; omnes, & Norica uirtus,
Toruus ab Hercinio uertice Bemus eat.
Queq; adeò gens est, Moraui promiscua ciues,
Etsi qua hoc tractu nomine terra caret.
Exue Silesios densis cultoribus agros,
Mitte paludosæ robora Lusatiæ.
Pergat arenoso piscatrix Marchia tractu,

Quæ

Quæq; metallifero est Misna opulenta solo,
Et læti agrorum de fertilitate Doringi,
Optimaq; armorum portio Francus eques.
Hic ubi se Mogus curuis ambagibus infert,
Et genus inuictæ nobilitatis alit.
Quiq; agit in tetricis uenator montibus Hessus,
Quæq; souet durum Fagina parua genus.
Arma Vbij tractent: intestinaq; soluta
Lite: noui causam Geldria Martis habe.
Prodeat arma ferens Eburonum exercitus omnis,
Se paret in bellum Iuliacensis ager.
Et nondum imbelles Bataui, Frisijq; feroces,
Et procera rudis corpora Vestphaliæ.
Et Vettraua acies, & nunc Germania Treuir,
Excipe pugnantes Adria Vesterichos.
Quiq; ab utroq; bibunt Rhenanos littore fluctus,
Quosq; uago præceps amne Mosella rigat.
Excipe non solis inhiantes Saxonas obbis,
Quos sua pugnanteis asperat ebrietas.
Inde inuicta acies ueterum genus ibit Obhonum,
Quiq; bibunt Albis flumina, quiq; Salæ.
Quorumq; arma duces nigro bouis ore figurant,
In Venetos rapida ui Pomeranus eat.
Dittimariq; rudes, genus insuperabile bello,
Et iuxtà Holstadij turba quieta ducis.
Et quæ se Gothico sparsit Germania ponto,
Insulaq; Arctoo Rhugia cincta mari.
Immittant Venetis tristem uada Balthica classem,

Arma uiros ingens concitet Oceanus.
Huc quoq; littoreos moueat causa ista Borussos,
Finitimos agris Sarmata dura tuis.
Istula tot Venetis, tot muserat Odera gentes,
Causaq; diuersos contrahat una duces.
Quot populis animoq; tuo contente domabis
Horribili Venetas obsidione manus.
Ardet, & antiquam repetens Germania laudem,
Egregiè quicquam quod gerat, esse cupit.
Tanta quibus uirtus animosa in pectora uenit,
Vt cupiant laudes iugiter ire tuas.
Sponte sua qui te arma petunt, præbe ocyus illis
Fomentum pugnæ materiamq; nouæ.
Præbe illis, quo se primis exerceat annis,
Si quis in hac turba sedulus esse cupit.
Turpe est in primo iuuenes torpescere flore,
Et nihil ætatis ui meliore frui.
Turpe est arma tuæ tracta rubigine gentis,
Olim clara foris, nunc latuisse domi.
Turpe est imbelles populos, Venetosq; fugaces,
Egregios armis sollicitare duces.
Germanæ uirtutis erat, gerere arma repente,
Quanquam indicta forent arma mouere prius.
Proh pudor, ira animo subeat, clementia cesset,
Vnaq; sit uirtus bellum iniisse citò.
Quondam nostra foris multa Germania laude:
Gentibus inuictis nomine terror erat,
Nunc quatiu xrsotics uicinis undiq; bellis,

Et ruit in populos quælibet ira tuos.
Nec tamen ista loquor, quo te his in casibus antè
Vnquam adeò segnes dicam habuisse manus.
Aut procul à curis animo torpere remisso,
Armaq; pro patriæ lenta mouere bono.
Notum est ingentes bello subijsse labores,
Notum est tranquillos non habuisse dies.
Suetum anteire loco, pugnaq; exire priorem,
Fungi aliquando ducem militis officio,
Gaudentem castris, & aperto uiuere cælo,
Qui uitæ modus est, quæ seriesq; tuæ.
Ergo age liuor edax rabidum compesce labellum,
Desine de tanto tristia rege loqui.
Desine Cæsareos titulos, pulchrosq; labores,
Vilis homo spurcis comminuisse labris.
Non fugere est, si quis lentam cunctatur ad iram,
Nescis qua deceat hoc opus arte geri.
Tot circum casus pensat Iouis ales ab alto,
Cum uolet, ingentes conciet illa metus.
Sæpe quidem pennas, sed non pro uiribus ipsis
Pandit, & excussis unguibus ampla patet.
Sed non tota ruit, summamq; exurgit in iram,
Omnino uires prosequiturq; suas.
Hactenus hæc populos suspensis terruit alis,
Vindicis hostiles admonitura animos.
Dum tamen ora furens ex causa armabit, & ungues,
Dum ruet, & totis uiribus arma geret.
Tunc neq; Gallus ouans casu euenuq; secundo,

Quocunq; hoc fiat tempore maior erit.
Nec bene res Venetûm tantam subsistet ad iram,
Viderit Adriaco fulmina iacta salo.
Ah potes arbitrium rerum moderator iniquum,
Deq; tuis factis, ingenioq; pati?
Ah finis hæc aliquem tibi detrectare tuorum,
Quæ nunquam iustum promeruere odium.
Aude aliquid, factisq; nouis istam elue famam,
Quæ tamen haud causas unde seratur habet.
Nunquam aliquis uidit luxu te egisse supino,
Nunquam aliquis uidit mente uacante leuem,
Vtq; solent Reges mollem deducere uitam,
Dulciaq; amplecti, delicijsq; frui.
Semper dura pati, semper fugere ocia promptum,
Duritia mentem perdomuisse patet.
Castra uoluptatis nunquam ciuiliter intras,
Sed tanquam laqueos insidiasq; fugis.
Et si quando audes, nunquam temerarius infers
Arma, sed ex causæ conditione grauis.
Dumq; infers, non tentus ades, non ultimus adstas,
Ex acie primos conseris ante duces.
Spes mihi per te igitur cunctando restitui rem,
Quæ nunc ex animo statq; caditq; tuo.
Huc ego iampridem res abs te colligo gestas,
Quarum est, quam debet laus tibi parta minor.
Stultum est ex ipso premere, aut extollere casu
Res gestas, animo consilioq; decet.
Et quia successu caruit tua magna uoluntas,

Laus ex conatus pondere maior erit.
Augebitque tuam fortunæ iniuria famam.
Plus meriti, quàm quis credere poßit, habes.
Tu uaria indomito conflasti incendia Geldro,
Adq; tuos tandem iam silet ille pedes.
Tu moto inuersos preßisti milite Belgas,
Inque tuum frustra gens stetit illa caput.
Vidit equos, uiditque tuos tunc Sequana currus,
Horruit armatas ipse Mosella manus.
Te Rhodanus tristisque Araris sensere ruentem,
Inque Pyrenæo culmine castra locas.
Tunc Mediomatrix sensit tua signa, timentes
Tunc Senonas bello, tunc Heduosque petis.
Nec procul hinc natum funesta strage Philippum,
Plurima post tandem millia cæsa refers.
Et te iam regem ducibus pater ipse coactis
Dixerat, assensu consilioque ducum,
Eijcis à patrijs Matthiæ castra Tyranni
Sedibus, in regno sederat ille tuo.
Austria tunc armis, tunc magna Vienna recepta est,
Et tibi se totam Pannonis ora dedit.
Omnia cæde reples, & ne sine testibus hoc sit,
Ister ab hostili clade cruentus abit.
Nec tibi uulgares soluit nigra factio pœnas,
Quam laquei infami morte perire facis.
Quo pater Huttenus bello tua signa secutus,
Sæpe mihi dixit, quantus in arma ruas.
Sensit enim uires que tuas, sensitque uigorem,

Cum manibus tantum prosequeretur opus.
Vndiq; pacatis rebus, belloq; receptis,
Quando hostile nihil iam superesse putas,
Tunc uerò Heluetij sylua atq; è montibus illis
Ausi, in te uires constituere suas.
Quos licet, ut deceat nondum superasse puteris,
Et res in dubio pendeat ista statu,
Hora tamen ueniet, intermissoq; triumpho
Aptius hoc olim tempore tempus erit.
Inuidit fortuna tibi, laudemq; morata est,
Sæpe prius magnis obuia facta uiris.
Cumq; foret, quæ te cœpto reuocaret ab isto
Causa, refers populos hoste petente tuos.
Quinetiam obsequio tibi coniurasse futuro,
Notum est, & dextris fœdus inisse datis.
Vt si nunc quicquam pro te minus egerit æquum,
Perfida dijs ipsis testibus arma gerat.
Traxerat Eqos Bauarorum in rura Bohemos,
Dux Rheni, & magno est gens tua pressa metu.
Illico sublatis commisces prælia signis,
Vixq; tuo tandem milite septus ades.
Quãdo unũ (ut fama est) medios furor egit in hostes,
Audentem prima conserere arma acie.
Ingentiq; animo populum turbare ferocem,
Cum iam telorum septus ab imbre fores.
Hinc spolijs diues, cæsoq; ex hoste superstes,
Marte Palatini castra Leonis adis.
Quorum cur modicum liuor tibi pendat honorem,

Quòd

Quòd penè in patrio est res tibi gesta solo.
In promptu causa est, non te fortuna sinebat
Ire foras, dum sunt tanta gerenda domi.
Sæpe quidem bellum cum iam transferre parares,
Causa noua in patria quæ retineret, erat.
At quanta interea est externos gloria reges
Pacatos solo continuisse metu?
Aut referri patriam factis seruasse, manuq;,
An bene re uisa, consilioq; ducis?
Hactenus internas componere præstitit iras,
Resq; alio pacto non potuere geri.
Nec potes in bellum discordes ducere gentes,
Non bene sedatas compositasque prius.
Vtq; opifex docili parat instrumenta ministro,
Et quo quid faciat, factum habet ipse prius.
Sic quo bella geras populo, quo milite pugnes,
Prospicere, atq; opus est ante parare tibi.
Iam tamen hoc factum est, nec habet Germania bellū,
Per te intestino libera facta malo.
Tempus adest Venetas armis excindere uires.
Tempus adest laudes accumulare tuas.
Iam potes hoc clarè, iam te tempusq; locusq;,
Quoq; ineas melius prælia, causa iuuat,
Causa iuuat, tu coge duces, tu collige uires,
Opportuna tibi bella parata uides.
Ignescunt animi, furit inflammata iuuentus,
Vtere quod præsto est, quæq; parata uides.
Olim ardor feret iste retro, flammæq; tepebunt,

Seque interposita leniet ira mora.
Ne sine dilabi, iuxta est occasio Cæsar,
Quo propior, cupidè hoc arripienda magis,
Quod ratione geri petit, omninoque gerendum est,
Præsertim instructis præstat adire citò.
Nam si lenta tuas cunctatio fregerit iras,
Quod medium est, Venetis tempus obesse putas?
Principium est illis reparandi hoc tempore belli,
Irrue, quàm uirtus creuerit ista prius.
Tempora dant dilata uices, citraque laborem,
Opprimitur, cum iam nascitur, omne malum.
Turpe est, cum possis, Venetos non uincere, peius
Hic alijs si te deside cedat honor.
Nam nisi tu facias, nisi te duce bella gerantur,
Forsitan in populò qui gerat, alter erit.
Ne sine te Cæsar priuari laudibus istis,
Atq; alium palmam præripuisse tibi.
Iam ferus Italiam successibus occupat æquis
Gallus, & in laceri pelle leonis ouat.
Et nisi tu uenias, nisi te intromittere certes,
Ille tuos titulos, nominaque ille tulit.
Si te nullus amor patriæ tenet, & tibi præstat
Ocia inexperta carpere duritie,
Hoc saltem stimulet, saltem hoc te mordeat intus,
Lintea quòd uelis prætulit ille tuis.
Quodque præit laudes Gallorum gloria nostras,
Gloria, fortunis nobilitata suis.
Quæ postquam è somno Germanas sentiet iras,

Iam tandem dicet: me minor aura iuuat,
Certum est te Venetos primum hæc in bella uocasse,
Certum est hos, fines marte adijsse tuos.
Redde uices, neu sic poscentibus arma, recusa.
Vt nolis, causa cogeris esse ferox.
Adde prophanatas leges, ruptamque nec una
Fraude fidem, & toties fœdera læsa tibi.
Adde deos nuper contra, & socialia iura,
Quatuor à Veneto millia cæsa duce.
Tot bello afflictos populos, urbesque subactas.
Mista prius multis, mista uenena tibi.
Tum quod in exemplum possunt ea crimina duci,
Conijce, ni fœdum pœna sequatur opus.
Quòd nisi de Veneta sumenda erit ultio fraude,
Hoc poteras bellum sponte inijsse tua.
Vnius ob raptum nuptæ socia arma sequuti,
Eruerint Danai Pergama celsa duces.
Ausa sit Ocbalij soboles animosa Philippi
Humanum bello sollicitare genus,
Mouerit affines raptarum causa Sabinos,
Aduersus Romam contrahere arma nouam.
Nos Venetos regno tumidos, & nostra petentes,
Ferre extra patrias arma sinemus aquas?
Quàm molles olim populi, belloque minores,
Ne sine Germanos non potuisse magis.
Quæ natura loci, quæque ars ab origine gentis,
Institor Adriacus uendat ematque piper,
Cui minus est, patrium piscando nauiget æquor,

Spem lucri paruam poßideatque scaphant.
Tu natos è Marte uiros ne crede timeri,
Dum sinis à Marco semileone peti.
Vsq; adeò pudor est, quòd nos Veneta arma lacessant
Tum quid si contra, tu nihil ausus eas?
Consule temporibus, uideant tua facta nepotes,
Dumq; licet, famam posteritatis adi.
Gloria quæratur tibi Persidos emula Cyri,
Nitere Pellæi uincere gesta ducis.
Ad Lacedæmonios animo contende triumphos,
Thebanas laudes Cecropiumq; decus.
Vince graues Marios uirtute, amplosque Metellos,
Fabricios, Curios, Scipiadasq; bonos.
Pompeiumq; senem, sed adhuc sua fata sequentem,
Quæq; repentini Cæsaris acta canunt.
Vince inquam, tantoq; magis, quòd qui ista gerebant,
Horum quàm nostra est bellica fama minor.
Effice, ne uideant illud tua tempora primum,
Quòd quis Germanis fortius arma gerat.
Iamque oculis propone duces, propone Tyrannos,
A quibus hoc quantum est, nobile stemma trahis.
Vt pudeat, si non his te maioribus æques,
Qui famæ implerunt omnia laude suæ.
Ecce ruunt Cymbri, & collectis Teutones armis
In Latium, & Romam non sine clade petunt.
Ecce alacer magnis Romanum uiribus ausum
Arminius uicta deijcit è patria.
Et qui te propius contingit rumor, Othones,

Nonne uides toto nunc etiam orbe cani?
Et Friderichorum fama superesse triumphos,
Infaustum Latijs urbibus exitium?
Sic te ex plebe leua, sic te super æthera tolle,
Duret ut & nomen secula longa tuum.
Sed iam bella paras, iam totis uiribus audes,
Iam cita concepto castra furore moues.
Iam ruis in Venetos, & te timet hostis euntem,
Non opus est monitis ad tua cœpta meis.
Annue Christe duci, quem tu hæc in regna locasti,
Annue ad intuitum militat ille tuum.
Da paucos Venetos superari sanguine ciues,
Da tanta exiguo bella cruore geri.
Agnoscant Veneti dominum, suaq; omnia dedant,
Et subdant posito colla recurua iugo.
Aut quia se toties non agnouere monentem,
Tam iusta immißis dirige uela notis.
At tu pasce animum uotis, & uindice bello
Cæsar in arma tibi facta molesta rue.
Neue impunè ferat, si quis te læserit hostis,
Prouocet, haud iustas inijciatq; manus,
Compesce hanc Venetûm rabiem, stolidûq; furorem,
Vt quisquam exemplo cautior alter eat.
Hi sunt, qui Venetos Troiano Antenore natos,
Atq; alia imperio furripuere tuo.
Hi sunt, qui Romam tibi, & Itala regna petenti
Dixerunt: contrà, si potes, arma cape.
Arma igitur capias, spe plena atq; auspice Christo,

Omnia

Omnia sunt cœptis læta futura tuis.
Nescio quid uatum statuunt præsagia de te,
Sunt quoq;, qui dicant astra fauere tibi.
Astra fauere tibi, & Veneto metuenda Leoni.
Dura uolubilibus signa notata polis.
Omnia tuta uides, sume arma, & tela capesse,
Debentur laudes hac quoq; parte tibi.
Post confecta olim Romanus bella Senatus
Decreuit ducibus nomen ab hoste suis.
Atq; alijs titulum Libyci peperere triumphi.
Nonnullis decori Gallia uicta fuit.
Creta potens alijs, & bello pressa Corinthus,
Ille suis Numidis, Thracibus alter ouat.
Quosq; ægrè uicit Romana iniuria Cymbros,
Et de Pellæa lata trophæa domo.
At tibi, qui iam se mundi caput esse putabant,
Cum uinces, quantæ nomina laudis erunt?
O eat illa dies, quæ si bene colligo, iuxta est,
Qua tibi de Veneto ciue triumphus erit.
Qua niueis duceris equis, curruq; superbo
Post ostentatas lauriger ibis opes.
Non ego tunc solidas tristabor in hoste catenas,
Appensosq; pedes, implicitasq; manus.
Ducantur proceres urbis sub imagine tantæ,
Ad tua pomposus plaustra senatus eat.
Insultet spolijs diues Germania lectis,
Plenaq; sint Venetis omnia diuitijs.
Ite triumphales (ita uertitur) ite cateruæ,

Ma-

Maximus hoc iuris Æmilianus habet,
Scribite Germani uictura poëmata uates,
Et decori uestro nomina longa date.
Assere Cæsareas quisquis potes, assere laudes,
Materia ad numeros hæc erit apta tuos.
Hic quod nostra probet, quod postera diligat ætas,
Immortale bonus texat Erasmus opus.
Hic se dignum aliquid Musis extorqueat Hessus.
Buschius hic carmen libera lege Crotus.
Me quoq; ducit amor, præterq; tot ultimus omnes
Augebunt numerum, qualiacunq; canam.
Omnia lætentur, persoluant omnia laudem,
Iam Venetos bello Maximilianus adit.

VLRICHI AB HVTTEN EQVITIS GERMANI, DE PIscatura Venetorum, Heroicum.

EXierant Veneti piscatum, ita fata ferebant,
Non uni Veneti, toto genus orbe coactum,
Et feces populorum, & magni opprobria mundi,
Inter se iunxere manus, & pacta uicissim
Constituere, humiles primum tulit Adria euntes.
Retia panduntur, curuis contenditur hamis.
Feruet opus, cadit omne genus, quod uiuit in undis.
Ipsi agili cymba, & curua rate fluctibus errant,
Et non lata uagis audent petere æquora lembis.

Hæc

Dumq; ita dißimulant, uicinis montibus ortas
Dicuntur secuisse trabes, magnasque repente
Extruxisse fretis puppes & fluctibus aptas,
Armaq; conuexisse uiri, murisque sub alto
Fundamenta mari, sub iniquo aptasse profundo,
Æquoris in medio, cincti nutricibus undis.
Fœnore iam dites, & adactis mercibus aucti,
Quas Arabum populi, diues quas miserat Indus,
Finibus Eois, & de Gangetide cælo.
Cœpta est interea Veneti captura Senatus
Suspitiosa, animos regum passimq; petitos
Irritare duces, coëunt ex urbibus omnes
Italiæ proceres, tentant diuellere, seruat
Casibus in medijs tutos Fortuna, marisque
Esse iubet dominos, ita qui paulò ante parabant
E tenui uictum quæstu, tunc retibus actis
Humanas piscantur opes, cumq; urbibus ipsos
Subijciunt homines, ibi si quis fortè comesto
Excitus est hamo, ceciditq; in retia princeps,
Imperium cessit uictori, Antenoris urbem,
Altinasque domus, & terras, quæ inter amœnum
Contingunt Athesim, celerisque fluenta Timaui,
Iuxta Opitergnos scopulos, Aquileiaq; arua,
Euganeas sedes, & qua tenus urget Iader
Adriacos fluctus, patriumq; Limenis ad amnem,
Et qua se Eridanus perdit prope littora, primum
Imperij statuere modum, nondum aurea tecta,
Auratasque trabes Phrygæ erexere columnæ,

Itur in Oenotrios fines, & Gallica rura.
Italiæ per utrumq; latus, tunc Roma supremum
Post Gothicas clades, & magni bella Sueui,
Excidium timuit, compressæ fraude dolisque
Quædam urbes, aliæ tolerant iuga, uiribus actæ.
Tunc Itali seruire Duces, & ferre tributum
Victori Veneto iussi, tunc Istria paret,
Dalmataq; & iuncto Slauorum regna Liburno.
Per mare grassatum est, das magnam Græcia pœnam
Victa moræ, uexata Rhodus, Thracesque petiti,
Capta Iouis Crete, facta est prouincia Cyprus,
Diuitiæ ingentes cumulatæ, omnesq; subactæ
Insulæ Ionio in magno, quas dicere longum est,
Et numerare pudor, fortis sese impete primo
Ianua in occursum Venetis grassantibus offert,
Et rectè audaces Ligures, si casibus æquis
Dispenset Fortuna uices, ultroq; citroq;
Vincendo uicti Ligures, aliquotq; per annos
Successu uario pugnatum, & uiribus æquis,
Donec ad euentum, quo iam inclinauerat, exit
Alea bellorum. Quid cum sors addere posses,
Cronia quid uelles, quo nata superbiat ultra?
Addis adhuc aliquid, sed quo nil maius habebis,
Prædones regnare iubes, tunc quisquis ad undas
Venerat Euganeas, curua uix integer alno,
Pisce onerans scabra limosam erugine cymbam,
Hunc regem facis, et populos, quibus imperet, addis,
Das etiam cultum, & speciem concedis honori.

Conti-

Continuò argentum mensis, solidoq; ex auro
Pocula, & artifici lances nidore supinas,
Exponunt Veneti, & cocco sublimibus ornant
Aurea fulcra toris, atq; hoc torpore quietis
Bethica lana uiris, Canusinaq; fit toga uestis.
Callaicum solis aurum, solisq; reuectæ
Littore Erythræo, & rubeo de gurgite gemmæ.
Aßyriæ iactantur opes, & purpura solis,
Prædita sunt solis omnem excedentia luxum.
Quicquid Imetus habet, quicquid lapidosa Caristos,
Et Venosa Thasus, uel quo se marmore iactat
Thaigetum, Altinæ poscit structura paludis.
Fertur pinguis Onyx, & fertur pinguis Ophites.
Ipsos grata tenet suffartis culcitra plumis.
Fragrantes unguenta, & quos Phœnicis odores
Lectus habet, signant sua tempora Mausolæis
Sidereis. Venetiq; uocant monimenta trophæi,
Insula, fundus, aquæ, pecudes, portoria, uillæ,
Cui desunt Veneto? cultiq; rosaria pesti?
Alcinoiq; horti? & uigili mandata Draconi
Hesperidum prata? stant ductæ ad sidera turres,
Atria longa patent, ab aprico porticus æstu
Quæ defendat, adest, intus conclaue superbum
Ornant Phidiaci preciosa toreumata cæli,
Mentoreæq; artes, & adhuc in honore uetusti
Praxitelis statuæ, sunt certatoris Apellæ
Viuentes tabulæ, sola ipsis balnea curæ,
Et ductæ choreæ numeris, & molle theatrum,

Scœ-

Scœnaq; nocturnæq; epulæ, sibi balsama inungunt,
Inq; luto gemmas, & coccina syrmata uerrunt.
Sunt nardo, sunt strata croco subsellia, nec iam
Transtra foriq; animos terrent, maliq;, uagæq;
Cornibus antemnæ, & nautis metuenda charybdis,
Scylleiq; canes, atq; elatrantia saxis
Monstra, Notiq; leues cursu, Boreæq; uolucres.
Iam desueta opera, atq; usu damnata recenti,
Moribus his cum iam centum durasset in annos,
Atq; alios centum, Venetæ piscatio gentis,
Iratæ fremuere Alpes, ruit excita celsis
Especulis regina auium, cursuq; librato
In Venetas armatur opes, non ipsa nefandam
Affectans prædam, sed captum ut liberet orbem,
Vt spoliatorum miserè patrimonia regum,
Restituatq; loco, donetq; hæredibus æquis.
Teutona quid faciat, fertur quæsisse iuuentus,
Tempus id ex Aquila, quid agat conamine tanto,
Et quo tela ferat, quem se sic armet in hostem,
Regali à cultu, respondit, & urbe relego
Piscatum Venetos, miserorum uincula regum,
Et diras soluo manicas, per me omnia priscæ
Libertatis erunt, faciam discrimine iusto,
Vt populi sint, utq; duces, ciuilia iura
Vrbibus imponam, reges amissa tenebunt,
Qui per me cupient, studium est aperire reuinctam
A Venetis pacem, & tota tellure receptam
Afflictæ Italiæ, pressæq; ostendere Romæ.

Arcebo excursus, & sumpta latronibus arma
Infringam, legesq; dabo, ereptamq; tuebor
Iustitiam: post, qui fictis piscatibus orbis
Regna affectarunt, & se penes omne subacti
Sperarunt mundi caput, imperiumq; futurum
Quiq; mihi bello, & contractis uiribus ausi
Et terra & certare mari, quod origine constant,
In piscatores redigam, priscasque per artes
Scrutari uada, & erumnoso uiuere quæstu,
Exutos rapto cogam, laceraq; carina
Nautica sulcato cantare celeumate ponto.
Hæc dicentem Aquilam, molitamq; omnia factis,
Plausu exceperunt reges, lateq; refecti
Optarunt cœptum uotis succedere bellum.
Quòd si tu casu Venetos seruabis in isto,
Cæsare ab irato, dijs ulteriora potentem,
Te dicam fortuna deam, templisq; sacrabo.

VLRICHI AB HVTTEN EQVITIS GERMANI Marcus, Heroicum.

RVperat Adriaci stagnantia claustra profundi
Βάτραχος ὀψώσας ὠχρὸν δ' ἐμαρς ὕδατι λευκῷ.
Improuisum orbi monstrum illud δεινὸν ὄραμα.
Nec soliti generis, uel qualē sæpe uidemus. (λύψας
Σκιρτήσας κατὰ γῆν, νῆφ' ὕδατι σῶμα κα-
Vastū corpus erat, quædāq; in corpore uires.

Et non contemnenda animi uis, infima temnens,
Alta petens, longeq; sua se à sorte mouebat,
Audebatq; loquens ingenia, πολλὰ δ' ἐβόα
Vicinosq; ad se populos, regesq; uocabat,
Magna locutura, & graue de communibus actis
Consultura uiris, Rana os, humerosque, pedesque.
Omnia Rana, sed Euganei regina profundi,
Quæ titulum adseruit, iam non contenta paludes
Et luteas habitare casas cœnumq; relictam,
Aptum humeris, aptum ceruici immane leonis
Induerat tergus, uillosq; aptarat & ungues.
Tunc Venetos inter populos, Athesina fluenta,
Altiniq; arces iuxta, atq; Antenoris urbem
Sedit, & induta uoluit Leo pelle uideri.
In medioq; uirûm, quãquã εἰς φύσιν οὐδ' ἐν ὅμοιον
Ἀνθρώποις τε, θεοῖς τε, καὶ οὐρανίοις πετεηνοῖς.
Aut illi foret, aut se dissimulare, quid esset,
Ipsa satis posset, tamen hæc aggressa loquendo est.
Καὶ τοιόν φάτο μῦθον ἀπὸ στόματος δ' ἀγόρευεν
Res Itali uestræ, uestra & fortuna coëgit.
Cum possem Adriacas moderari tutius undas,
Regnis usa meis, animum ad maiora referre.
Namq; ut bellorum transmissa ex Alpe procellas,
Teutona terra diu ferali effuderit ira,
In nos arma mouens, nostras accessit ad aures,
Vtq; erat ingenio, & rebus communibus æquum,
Indolui facto, remq; indignata, peregi
Mecum ægras noctes, gemituq; urgebar anhelo,

Cum uacuæ curis, placidoq; sopore quietæ,
Sors Romana mihi, fugiens à sede Quirini
Tarpeias arces, miserando squallida luctu,
Æderet has uoces. Tu nunc tranquilla superbos,
Imperio Venetos premis, & tuto æquore regnas,
Romani securam mali, secura cadentis
Italiæ, diuesq; tuæ gratare quieti,
Non equidem immeritò. At si quid noua gloriæ tãgit
Ociaq; ob solidam potes interrumpere laudem,
Vt facias, modus est. Ego te caput orbe subacto
Efficiam rerum, per me Europæa subibunt
Regna tibi, facientq; Asiæ tua iussa Tyranni,
Pœnorum urbes, Afriq; à sole perusti.
His ego relliquias Troum, Phrygiosq; penates,
Æneadasq; deos, maiestatemq; sepultæ
Adijcio Romæ, Vestamq; ex urbe potentem,
Imperij excubias, uigilemq; huc transfero flammam,
Tantum hortare uiros, libertatemq; ruenti
Fortiter Italiæ refer, & moto adfere bello.
Regnatum Lario satis est, honor immutati
Te penes imperij est. Ea fata simillima uento,
Et leuibus Boreis, in mollem euanuit auram.
Me sopor, & domitrix curarum diua reliquit,
At superùm monitis, tantiq; oracula fati,
Oenotrij ciues, non est contemnere tutum,
Εἰμὶ δ' ἐγὼ βασιλεὺς φυσιγναθος, ὃς κατὰ λίμνην.
τιμῶμαι βατράχων ἡγούμενος ἥμαστα πάντα.

Καί με πατὴρ Πηλεὺς ποτὲ γείνατο, ὑψίρομα δώσειν
Μιχθεὶς ἐν φιλότητι, παρ' ὀχθας ἠριδανοῖο,
Σκυπτροῦχον βασιλῆα, καὶ ἐν πολέμοισι μαχητὴν.
Οὐδέποτ' ἐκ πολέμοιο κακὴν ἀπέφυγον αὐτὴν.
Αλλ' ἐυθὺς μετὰ μῶλον ἐὼν προμάχοισιν ἐμάχθην.
Οὐδὲ δι' ἄνθρωπον, καὶ περ μέγα σῶμα φερούντα.
Αλλὰ δύω μάλα πάντα τὰ δείδια πᾶσαν ἐπ' ἄιαν.

Erigite infractos animos, lassatáq; eorda,
Inq; uicem audentes fessis succurrite rebus.
Quoscunq; in populos emittite me duce bellum.
At grandi eloquio, & uerbis acuentibus iras,
Nemo fortis eget. Postquam est ea fata, silentes
Obstupuere animi, digna admiratio factis
Iussit inaudita populos nouitate pauere.
Confestim accurrunt Veneti, regemq; salutant,
Quoq; aliquid posset quæsitæ accedere famæ,
Dant alas, Marcumq; uocant. Illa accipit omen,
Acceptoq; animis pro conditione superbit,
Et Venetis Ranis, & adhuc stipata nouorum
Accessu procerum, tunc regna inuasit, & urbes
Perdomuitq; duces, regesq; eiecit, opesq;
Condidit immodicas, toto stupor unus in orbe,

Λυμνόχαρις πολύφημος erat, timuere Tyranni,
Et uictas tribuere manus, regna omnia Marco
Territa sunt Veneto, sola huic Germania monstro
Indignum duxit famulum summittere collum,
Illa Tridentinos tamen est inuadere montes,
Herciniumq; nemus, qua parte obnubilat Istrum.
Ausa, sub hac specie, simulatiq; ore Leonis,
Per fas perq; nefas, recta & praua omnia miscens,
Extollensq; malos, meritosq; in tartara mergens,
Quos potuit, quorumq; fides sibi credita, sontes
Hæc eadem sibi coniunxit, socijsq; sub omnes
Vsa est euentus. Tum quos non uincere bello,
Aut uirtute sua potuit, miscente ueneno
Cunctantes uicit, sacra omnia, & omnia iura
Polluit egrediens, uis atq; iniuria belli
Omnis causa fuit. Pacem bellumq; perinde
Duxit amare fidem, & iuratum nescia pactum.
Armata insidijs semper. Qua cum arte parasset,
Πολλὰ μὰλ' ἐν λύμνῃ νῆ ἐστὶ χθονὶ, θάυμαστ' ἴδε
Conata est leuibus, cælũ contingere pēnis. (σθαι,
Cum quidam euentu gaudentem, & nomine Marci,
Fertur præmonuisse feram: Ne Rana superbi,
Neu caput hoc, istosue oculos sublimius effer,
Quam tua sors permittit, ἐχθὸς ἐκδίκου ὄμμα,
Γοτνήρ σὺ τίσῃς. Ne cælum insurgere contrà
More Gigantæo, maioraq; uiribus aude,
Ου λήσῃς θεοὺς φυσίγνάθε ταῦτα ποιήσας,
Spreuit eos monitus, nec adhuc temeraria cœpto

Absti

Abstinuit uetito, καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν.
Tum uerò iratus, postquam tot uiderat annos
Crimina ranarum, & Venetæ incrementa paludis
Iuppiter, hac Aquilam, qua despicit omnia ab arce,
Demittit, ranisque super non mollia iussa
Imperat, ut ficto sacra deroget omnia Marco.
Et doceat non esse deum, raptoq; ferocem
Exuat, & spolijs, palantesq; æquore Ranas,
Arceat Adriaco, pelagoque remergat auito.
Huic dicto concessit, ἐπεὶ μέγα οἱ σθένος ἦεν,
Et rostrum, & laceros acuens Iouis armiger ungues.
Ἐτεῦτο δὲ πορφύρεον βατράχων γένος ἀίχμη-
Vtq; in uindictã dispersum colligat hostẽ. (τάων,
Fertur ab Alpino, ἐνναίεν βατράχους βλεμεαί-
In Venetos speculata iugo, quo uix bñ uiso. (νων.
Rana fugax, ὄχθαισι βαθείαις ἔμπεσε φεύγων.
Abijciens sceptrum, & torui simulacra Leonis,
Regnorumque omnes curas, ueniamque precando,
Adflexa est Aquilæ genibus, quam cum illa negaret,
Αχνυσον μεσάνοιαν ἐμέμφετο πολλὰ δ' ἀκρόων.
Diffidensque sibi, auxilioque exuta suorum. (κν.
Δεινὰ δ' ἐπεσοράχιζε, φόβου κρυόεντος ἀνάγκῃ
Extremum turbata, μόγον δ' οὐκ ἦν ὑπαλύξαι.

QVOD AB ILLA ANTIQVITVS GERMANORVM CLARITUDINE nondũ degenerarint nostrates, Vlri. ab Huttem, Eq. Ger. Heroicum.

RHenigenas populos, & robustißima mundi
Pectora, quisquis auis, atq; à uirtute priorũ
Degenerasse putas, non æquo remq; diesq;
Arbitrio pendis, liceat cum tempore prisco
Præsentem conferre statum. Non semper in armis
Esse licet, mollem non semper amare quietem.
Alternas iuuat ire uices, belloq; remißos.
Tuta quies animos, paxq; interposta resoluunt,
Nec tu crede deos ita nos intendere contra,
Vt rerum inuideant summam, & fastigia nolint.
Germanos, orbisque caput, molemq; tenere.
Tunc cum tempus erat, gerere arma, & cogere gẽtes
Expugnare urbes, regumq; infringere fastas,
Fecimus egregiè, motisque indulsimus armis,
Nunc placidas artes, pacemq; admittere curis
Est opus, atq; animos tranquillũ aduertere in usum.
Dum Sophiæ fruges, cultumq; & quaslibet artes,
Post tot gesta uirũm noster quoq; calleat orbis,
Ergo adit Italiæ quisq; loca, ut adferat inde
Ingenij cultum, & Latiæ commercia linguæ,
Græcorumq; artes, nimirum illa ampla parentum
Cum satis euteat gestarum gloria rerum.
Nec minus hoc ducibus curæ est, dãt præmia doctis
Paßim, Academias statuunt, & honoribus augent
Altiloquos uates, ac Musica sacra professos.
Ingenijsque fauent mansueta fruge colendis.
Sunt tamen interea, si qua interceßerit illis
Causa recens studijs, qui prisca negocia tractent,

Iamq;

Iamq; iterum fines Italorum, & Martia regna
Cæsar adit, motoque animo sese obtulit armis,
Vt Venetûm luxus, uanamq; ubi presserit iram,
Ostendat, pacem qui admiserit, arma præ orsas
Non etiam timuisse minas, potuisse in utramq;
Esse animo constante uicem, Iam discimus artes,
Scribimus, & serum nos commendamus in æuum,
Famaq; compertum est, quantum res adiuuet istas,
Quæ cum cura leuis nostris maioribus esse,
Acta ducum tacuit, nec quid Germania rerum
Egerit, inuictaq; manu quas ceperit urbes,
Quos dederit leto reges, & uicerit hostes,
Scire datur. Neq; enim scriptis calamoq; uacabant
Vtiliora armis corda, & præstantibus actis.
Maluit illa ætas, quàm scribere, utier armis.
Ædereque insigneis, quòd scriberet altera, pugnas.
Quòd si nostra forent uicturis gesta libellis
Scripta uelut Latiæ, uelut ampla uolumina Graiæ
Cernimus historiæ, non tantum hæc ultima scirent
Secula, Teutonicas Alpino in uertice pugnas.
Cymbrorumque manus, & quas tum fœmina strages
Miscuerit, fractumque dolis non uiribus hostem,
Ter uictasque acies Italas, orbisque retusum
Ingemi terrore caput. Romamque timentem,
Feralemque urbis planctum, quæ castra cohortes
Syllani dederint, quas Cæpio senserit iras.
Vtque fuga turpi patrias repetiuerit arces
Manlius, attritæ quæ desperatio Romæ.

Quale Dionæo confectum à Cæsare bellum,
Quæ uix dum uisi fuerit uictoria Rheni,
Memitaque fugæ, & cœpti solatia pontis.
Vindice ut Arminio celeris prope rura Visurgis,
Romanas acies miro Germania motu
Quintiliumque ducem conciderit, unde biro strae
Contigerint Aquilæ, traducti insignia regni,
Excussumque iugũ, non tantum hæc tẽpora nossent,
Quo tunc Roma metu nostrorum expauerit iras.
Præmia quæ belli, nec non qua laude Cheruſci,
Re bene tunc gesta tulerint, & gloria quæ sit
Ereptum imperium, compressa superbia fastus
Italici, pulsumque nefas, ut libera tandem
Teutona gens falsos posset ridere triumphos.
Quos egit Caligæ notus cognomine Cæsar,
Tunc, ubi se rutulis æquabant nigra capillis
Tempora, & Ausonijs stridebant barbara linguis
Murmura, ubi currus simulata trophæa pudendis
Pone sequebantur, fingentemque ista præibat
Plebs sua uictorem, Germanum imitata susurrum.
Non hæc clarorum præter tot millia patrum
Cognita facta forent, sciremus ut ordine gesta,
Et quæ bella sient, nec gens tantum ulla loquacis
Scriberet historiæ. Nunc cum facere inclyta nobis
Scribere sors alijs dederit, Germania tantas
Perdiderit pugnas, & quæ clarissima quondam
Confecit, lateant, obscura in nube feratur,
Quæ patribus uirtus fuit, aut quæ gloria, Nemo

Caligulã notat.

Possit ab antiquo Germanam extendere laudem,
Attigerint nullos ueterum monimenta nepotes,
Idque errore patrum. Nos quo ne obliuio nostri
Temporis obscuret, si quid memorabile gestum est,
Scribere tentemus, cultumque inhiemus ad istum,
Vtque hac esse olim possimus laude superbi,
Bella remittamus, quantumque à Marte licebit,
Ocia Musarum, & placidas uigilemus ad artes,
Vt non sit mirum, si segnius arma feramus,
Nec ferimus segnes, quia iam prudentia maior,
At furor est leuior, nec qui nos prouocet hostis.
Contigit his armis, si quis uolet, inferat ultro
His bellum populis, requiem tentetque supinam,
Sentiet ultrices in se concurrere uires,
Comperietque hãc nos pacem formasse, rudesque
Erudijsse animos, studioque acuisse sequestro.
Sentiet horribiles non frustra exire Sueuos,
Atq; etiam lingua Francos uerbisque timendos,
Terribiles equitum turmas, & fulmina belli,
Vindelicasque Aquilas, atq; ebrietate feroces
Saxoniæ populos, nec egentem uiribus Hessum.
Et nunquam domitum Rhenum, toticsque petitum,
Et medias gentes, quarum nunc gloria maior,
Quám fuit illa uetus, cui si quem temporis huius
Pœnituit, sortisque suæ, præconia laudum
Attribuit meliore loco, præsentia sordent,
Dura quibus Fortuna uenit, cui prospera non sunt
Tempora, Felices primos uocat, ultima damnat,

Si sumus imbelles, priscasque amisimus artes,
Cur non nostra uenit Romani irrumpere Gallus
Emulus imperij? cur non sese Itala tellus
Eripit his titulis, nobisque subesse recusat?
Cur non cuncta petens animo Mahumeticus hostis
Audet in has uires? Certè haud hoc tẽpore quisquã
Bella gerit, qui non nostris se uiribus armet,
Nos Asiæ reges, Tanaisque ferocia regna,
Et fera Turcarum manus, Assyriæque tyranni,
Sarmata nos, Parthique legunt, nos Persia diues
Ante aciem statuit, nos ultima regna sequendis
Affectant castris, nos ultimus appetit orbis,
Nos penes est studium armorũ, nos ista docemus,
Nos facimus, per nos alij faciuntque sciuntque,
Indicunt alij, iurantque in bella uicissim.
Nos gerimus, uincit, Germano milite quisquis
Bella gerit, nostra est hæc gloria, solaq; nostra est.
Quid dicam mores ita nulla in gente pudicos?
Quanquã aliquas dederint, quòd nostras polluit ur-
Molliculi labes Itali, quanquã improba Roma (bes
Venerit in ritus, spurcisq; infecerit istud
Acre libidinibus, castum corruperit omne
Roma, sacerdotum luxus, uitamq; supinam
Pontificũ, nõ tam ipsa ferens, quàm semine sparso
Gentibus immittens, quid dicam, ut in urbibus ipsis
Tot ueniant cultus, tot opes, tam splendida cuncta,
Vt nulli nobis ausint certare priores?
Nos etiam argentum, nos nobile mittimus aurum,

Nos legimus gemmas, & succina prisca recenti
Spernimus inuento, tanta est industria, tantum
Creuimus ingenijs, & adhuc quis fingit abhorrum
Degenerasse patrum uirtute, illustribus actis,
Cum uideat cultusq; nouos, positq; uetustam
Barbariem uotis odisse, hæc tempora uotis
Omnibus amplecti. Nam quæ non aspera quondam
Dicta magis tellus alia est, nunc omnia gignit,
Vina etiam, pulchrumque crocum, uestesq; superbas
Velleraq;, & fruges confertim, atq; omne metallum.
Præterea (ut fingis) donec desedimus isto
In torpore pigri, dumque has tractauimus artes,
Hac in segnitie, interea quædam egimus omni
Ingenio ueterum maiora, ac laude parentum.
Obijce desidiam, torporem & molle quietum,
Obijce liuor edax: nos quasdam inuenimus artes,
Quarum nulla satis laudem celebrauerit ætas,
Nam quæ sidereas uocalis machina turreis
Deijcit, ac solidas impulsu concutit arces,
Mœniaque & spissos: aggesto pondere: muros
Æquat, sternitque domus, & destruit urbes,
Prodijt à nobis. Nos primi excudimus ære,
Et sculptis mansura notis, tot secla, tot annos,
Omne genus scripti Vatum, æternosque labores,
Quæque diu nemo perituris scribere chartis
Posset, & in multas ita passim spargere gentes,
Per nos una dies in mille uolumina profert.
Quod tantum est, ut si cunctas perpenderis artes,

Italæ

Italia quæ acies, Latiumque exercet acumen,
Inuenias omnes hac utilitate minores.
Nunc quisquam innumeros etiam de paupere turba,
Exiguo parat ære libros, & munere nostro
Consequitur decus ingenij, paruoque labore
Omnia uel per se (quæ longo addisceret usu,
Et uigili cura, somnoque carentibus horis)
Imbibit, hoc tantum est, ut quòd nunc omnia plenis
Sunt congesta libris, ut quòd nunc oppida doctos
Cuncta uiros referunt, quòd nulla ita barbara tellus,
Quin animum colat, & fœcundis artibus ornet.
Solis deberi nobis, nemo neget usquam.
Esse rudes igitur quisquam nos dicat, & istam
Segniter ætatem duci, uel in ocia lapsos.
Dum sinat hanc nobis, ubi ademerit omnia, laudem.

EPISTOLA ITALIAE,

AD MAXIMILIANVM CAESAREM, Vlric. ab Hut. Eq. Ger. Autore.

ITALIA Maximiliano Principi.

QVa, si quãdo dabis, gaudebit et ipsa, salutẽ
Accipis afflicta Cæsar ab Italia,
Fama erat antiquo tua castra mouere Tridento,
Et iuga Rhœtorum, milite plena tuo.
Exilui, molita nouos de more triumphos,
Iamque adeò me cum hoc dulce sonabat Io.

Cum

Cum quidam extemplo, quiddam mihi tristius affert,
Te modo suspensis ausibus ire retro.
Turbaui mutata comas, posuique nitorem,
Ex malè sperato mœsta repente bono.
Deposui digitis, abieci à uestibus aurum.
Et gemui, & lachrymis immaduere genæ,
Forma tibi colitur, tibi nostra placere laborat,
Nunc latet, accepto te redit ille nitor.
Antè pater superûm Stygijs me admouerit umbris,
Fulmine turritum concutiatq; caput.
Quàm nisi te quisquam uideat gaudere recepto,
Squallor in aduentus hic manet usq; tuos.
Spes sedet hanc, per te cunctando restitui rem,
Quæ nunc fortuna concutiente labat.
Solor & ipsa meas deserta utrimq; ruinas,
Excusare tuas ingeniosa moras.
Et quoties sumptis, quisquam me inuaderet, armis,
Sub domino dixi uindice causa mea est.
Nec quòd uicta premor, ultro uictam esse putabis,
Omne reluctanti, quod fero, uenit onus.
Donec abes, donec sinor indefensa, tenebit
Inuitam, quisquis possidet Italiam.
Nec quid aget, blando qui me tibi detrahit ore,
Pollicitis partes allicit mq; suas.
Qui mihi grande decus, mihi qui promisit honorem,
Vnus honos, unum est, Cæsaris esse, decus.
Me res pollicitis Venetorum ingentibus urget,
Tentauit nostram Gallia blanda fidem.

In medioq; mei quidam exhortatur, ut ausim
Quam dare tu possis, uberiora sequi.
Auerti, tenuiq; manum, pactumq; refugi,
Donaq; contempsi, non habuiq; fidem.
In te solas amor, in te mea sola uoluntas.
Aut nunquam, aut per te libera terra mea est.
Tu dominus, tua iussa sequar, te principe tollam
Vt quondam, domitis regibus acre caput.
Per te priscus honor, prisca ornamenta redibunt,
Aut ego perpetua squallida sorde ferar.
Aut tua lenta mora est, cessasque in uota tuorum,
Qui spe, qui dubio consenuere metu.
Interea nullis ego non obnoxia fatis,
Cuilibet audenti prœda relicta petor.
Ah sinis, unde tibi constat nomenq; decusq;
Quemlibet iniecta contemerare manus?
In mea raptores grassantur uiscera Galli,
Me lacerat Venetus, persequiturq; latro,
Venit ab occiduo, qui me conuellat, Ibero,
Nec pars Hisperiæ est sub duce parua mei.
Intrantur Danais nostræ prædonibus urbes,
Appetor Illyrijs, Heluetioque fero.
Nemo quærit opes, quem non mea præmia pascant,
Nec sapit hic, qui non Itala regna petit.
Quid dicam euersas collapsis mœnibus urbes?
Quid memorem ferro plurima & igne peti?
Aut neglecta situ ueterum decora alta parentum?
Dissimilis primum nunc ego facta mei.

Thus

Thuscus opum uacua mercator regnat in urbe,
Tota fluentino est prodita Roma dolo.
Da ueniam, si liberius quid dixero de te,
Quærere debueras ista, tenere negas.
Si tamen instat adhuc istis digna ultio factis,
Nec me perpetuò spernis, opemq; feres.
Et si uel seròagnosces, studioq; moraris,
Sit leue uel tanta mœsta tulisse mora.
Ne contemne modo, tulerim differre tot annos,
Subtrahere indigno regna Latina iugo.
Quæ ueniunt lentè, ueniunt tamen, omne rependet
Tristitiæ tempus lætior una dies.
Sed nolis opus hinc differre in longius istud,
Dispereat, quisquis speret auetq; diu.
Tu toties uictos in te consurgere Gallos,
Tu finis hæc Venetos surripuisse tibi?
Nec gentis uirtute tuæ, famaq; moueris,
Quam memini Latios pertimuisse patres?
Quam pro me, ne sit Germania fortior in me,
Hæc uenit auspicijs fama tuenda tuis.
In me terribiles fecere ingentia Cymbri,
Romula Teutonicus perculit arma furor.
Tum ferus Arminius cæsis legionibus illis,
Qua clade Ausonium terruit imperium?
At tu bella moue, pro libertate tuorum.
Et potes & debes hoc remouere iugum.
Ducat in exemplum præclaris Carolus actis,
Infestum à nobis ille remouit onus.

Ducat in exemplum geminorum ſplendor Othonum,
Reddidit in melius tempus uterq; ſuum.
Seu cupias laudem, ſeu præmia digna laborum,
Cum mihi ſubuenies, illud & illud erit.
Ah quoties timui, cum res Germana placeret,
Errares patriæ ne quid amore tuæ.
Illius armorum uirtus, locupletior hæc eſt,
Diuitiæ fortes hæ decuere uiros.
Si quid ab antiquo repetis tamen, omnia quõdam
Deuici, indomitos ſuppoſuiq; iugo.
Vlla nec Italica uictoria longius iuit,
Gens tua nunc, olim maxima Roma fuit.
Me Lybici ſenſere duces, ego Punica uici
Regna, per Æthiopas arma tuliq; truces.
Quantum Arabũ, quantũ eſt Ægypti, Marte ſubegi,
Effera Parthorum me timuitq; domus.
Pugnaces domui Thracas, fudiq; feroces
Pannoniæ populos, horribileſque Gethas.
Pugnauit quoties, toties mihi Gallia uicta eſt,
Signa per Hiſpanos, per Siculoſque tuli.
Auſa Calydonios etiam ſuperare Britannos,
Inieci Occiduo clauſtra metumq; mari.
Dalmata ſuccubuit mihi, ſuccubuere rebelles
Illyrij, Mœſos edomuiq; feros.
Audaces ceſſere Syri, quiq; eminus arcu
Non modicos Perſæ diſtribuere metus.
Vici acres Macedum turmas, uici Actica regna,
Seruiuit Romæ Græcia uicta meæ.

Me

Me domitæ nouere Asiæ, tot regna, tot urbes
Sensere, & quem nunc omnia, Turca, timent.
Impressi tibi Ponte iugum, Colchosq; cæcidi,
Pertulit impulsus Caspia porta meos.
Per Solymæ grassata urbem mea gloria gentis,
Nec mihi se rigidi non tribuere Scythæ.
Fregi acres Cymbrorum acies, & Teutonas armis,
Vis mea bellaces contudit Heluetios.
Nullus in orbe locus, qui me non nouerit, omni,
Nouit inaccessi est insula si qua maris.
Vna caput mundi meruit mea Roma uocari,
Non tuus hoc Rhenus ipse negare potest.
Et finis hæc, unde est tibi gloria tanta, perire?
Quin agis, & tua sunt siqua, tenenda putas.
Non ego uel magni precium tibi uile laboris,
Non ego ero Marti causa pudenda tuo.
An quis mille rates pro coniuge ducit in armis,
Tu bello pulchram non petis Italiam?
Si quærenda forem, poteras aliunde morari,
Nunc tibi, cum tua sim, prima tenenda fui.
Tu caput es Romæ, mundi caput illa uocatur,
Ah age, qui rerum es omnia uince caput.
Aut hoc si nimium est, saltem illud uince tuendo,
Quo nihil uberius maximus orbis habet.
Causa grauis belli, uictori maxima laus est,
Prædones Latio pellere ab imperio.
Romanum formare statum, uicisse superbos,
Et tandem Romam restituisse sibi.

Huc ades, & modico cape præmia summa labore,
Dicam omnes uno te meruisse minus.
Ausoniæ lacerantur opes, decus omne Latini
Nominis externo succubat opprobrio.
Pulsa omnis Latio uirtus, fex ima resedit,
Mente abijt quisquis liberiore fuit.
Nuda uiris mecum pueros alo, quæq; supersunt
Intactas Galli non uoluere nurus.
Infertur teneris uis cottidiana puellis,
Non mihi matronas nunc licet esse probas.
Non sexus, non est cui sæua pepercerit ætas
Gallia, non ipsis abstinet illa deis.
Obijce te rabidò uirtute ultrice furori,
Nil reliqui uictor iam facit iste mihi.
Fœmineum miserare genus, puerosque deosq;
Eripe, quod perdam, nil super ista manet.
Serua aliquid, dum non perierunt omnia, ne cum
Seruari cupies plurima, nulla queant.
Maturasset opus casu Fridericus in isto,
Cuncta repentina præcipitasset ope.
Dum tamen ille studet uitiantes tollere morbos,
Quàm uolui medicæ plus abiere manus.
Rumpe moras, uenere dies, cunctarier ultrà
Qui prohibent, salua laude fideq; tua.
Arma cape, indomitoq; tuas motu assere laudes,
Quid uorat Ausonias Gallicus hostis opes?
Omnia uictoris mirantur pectora Galli,
Hoc tu materiam laudis ab hoste pete.

Mœsta precor, genibusque tuis præsentia tendo
Brachia, depuduit supplicis esse loco.
Res tua cuncta perit, summis se admiscuit ima,
Vergit in occasum, si qua suprema fuit.
Non modus est, non est, qui debuit, ordo tuorum,
Turbantur mixto fasq; nefasq; loco.
Dilanior patrijs obnoxia facta Tyrannis.
Vt taceam, externo quicquid ab hoste tuli.
Pastor eris, seruabis oues, purgabis ouile,
Lustrabis quæ nunc illita sorde iacent.
Ipsa pusillanimes Romæ ius dicere Scribas,
Cum uideo, & nullo pectore uulgus iners,
Quiq; sacerdotes titulo tenus omnia ducunt,
Quiq; bibunt semper plurima, quiq; uorant,
Molliculosq; homines, & inerti corde supinos,
Quiq; ibi sunt, quorum facta referre pudet.
Et pudet, & dicam, Pathicos regnare cynædos
Cum uideo, Romam tunc pudet esse meam.
Dij melius, quàm tu desperes ista iuuare,
Sic cecidi, ut possem surgere lapsa tamen.
Grãde quidẽ uulnus, sed adhuc medicabile, nostrũ est
Nec leuis est, nec adhuc plaga recusat opem.
Iam nisi tu redimas, nisi te duce libera restem,
Tot uenient reges, qui facilè illud agent.
Ne sine te uinci, ne quæ tua propria laus est,
Hanc aliquem media præripuisse mora,
Nec tibi Trinacrio sulcandos littore fluctus
Præpono, aut dubias findere classe uias.

Vt mihi me reddas, ut te in tua iura reducas.
Quod facies, tua per regna tenebis iter.
Omnis ab apposita tibi se manus adijcit Alpe.
Maiorem uim, quo longus ibis, habes.
Nec tantum aduersæ minuent tua robora pugnæ.
Quantum acies subitis crescet ab auxilijs.
Qui Venetas fugere manus, quos Gallia uicit.
Et graue Thuscorum qui renuere iugum.
Et fidei seruata tuæ, quæ se agmina nondum
Hostis in aduersas explicuere manus.
Qua non esse putas, effundent se arma uiriq;
Excutiet latebras ira sepulta suas.
Vt si nulla tuos Germania roboret ausus,
Hæc tamen Ausonio milite bella geras.
Omnis ab exulibus grauior uindicta, negabis
Irasci Venetis te potuisse magis.
Asperat offensas illata iniuria mentes,
Cogitat ulcisci, quisquis acerba tulit.
Laude tua facies alieno bella periclo,
Quid dubitas spacio corripere arma breuis
Vt taceam, quantum est lucri certamine ab illo,
Tam claro poteras Marte uouere mori.
Te quisquam imbellem quoties de plebe uocabat,
Ne caderem rupto pectore, cura fuit.
Multa quoq; ulciscor, quæ tu conuitia nescis,
Et quoties pro te quid licet, arma gero.
Sed ruit in modicas aduersa potentia uires,
Sæpeq; cum nolim, est ira premenda mihi.

Despiciunt Veneti ciues te, Gallia temnit,
Vix aliquid sperat, quisquis amicus adest.
Finguntur medijs in te omnia turpia scœnis,
Contemptuq; carent nulla theatra tui.
Audiui, & puduit recitari carmina de te,
Et qui te ridet, ingeniosus is est.
Atq; aliquis medio iam sol ubi lucet olympo,
Accenso quærit lumine, Cæsar ubi est?
Quàm fuit indignum, tibi non parere iubenti,
Tam tua maiestas læsa tuenda uenit.
Per genus egregium, clarisque insignia factis
Sceptra, per Austriacæ stemmata clara domus,
Per decus imperij, maiestatemq; uerendam,
Per qui te his rebus præposuere deos.
Perq; tui, iaceant quæ molliter, ossa parentis,
Per quæ te insomnem cura nepotis agit.
Rumpe moras oro, fer opem, rebusq; caducis
Auxilium præsta, suppetijsque leua.
Sic tibi quàm sera est, tam non elangueat ætas,
Sic superet clari Carolus acta patris.
Quæ iam planè omnem amisi uocemq; coloremq;,
Absimilis non est cuius imago neci.
Quam casus minuere graues, quæ mortua credor,
Exurgam aduentu prosiliamq; tuo.

RESPONSORIA AD ITALIAM MAXIMILIANI CAES.

Autore Helio Eobano Hesso Germano.

MAXIMILIANVS Cæsar Italiæ.

LEgimus adflictæ lachrymas, & uerba precãtis
Auxilium, nostræ sed tamen, Italiæ.
Legimus & turbasse comas, posuisse nitorem,
Nec gemma digitos amplius esse graues.
In nos causaris neglectæ crimina formæ,
Et nimium lenta scribis abesse mora.
Scribis, ut his curis uix possis ægra leuari,
Et desperata pene salute mori.
Si qua fuit, quam nos uelles misisse salutem
Despice, nunc primum est illa ferenda tibi.
Nam tua sic animum permouit epistola nostrum,
Vt placeant auido, quam stilus, arma magis.
Et tibi non eadem ratio est, nec uelle uideris,
Quisquis ut adflictam liberet Italiam.
Nos regem, ut decet, agnoscis, dominumq; fateris.
Dulce tui nomen Cæsaris illud amas.
Hoc uetus, hoc supplex Augustum nomen adoras,
Atq; Aquilas repetis libera signa tuas.
Commemoras ueterum Mauortia facta parentum,
Restitui per nos & petis ipsa tibi.
Parce queri, seruaq; fidem, & spes concipe magnas,
Iam tibi, ne dubita, noster anhelat equus.
Quantulacunq; nocet cupidis mora, nostra sub armis
Est igitur uarijs littera fracta locis.
Scribimus, & dictant iratæ uerba Camœnæ,
Terribiles referunt singula uerba tubas.
Nunc mihi Teutonicas uideor spectare phalanges,

Ex una quoties scripta tabella plaga est,
Nunc longas breuibus certare dolonibus hastas,
Cum stetit hic uersus longior, ille breuis.
Scilicet, ex ista promissam parte salutem,
Vt missam posses dicere, cura fuit.
Ergo ad te breuior tanto ibit epistola, quanto
Pro te suscipiet longior arma manus.
Namq; quid Alpinas fuerit mouisse sub arces,
Adflictam cum non ipsa querare minus?
Mene Tridētini urbē superasse, Athesimq; fragosum
Ludibrium famæ despicientis erit?
Illa quidem non uana tuas peruenit ad aures,
Atq; aliquid maius, quam loqueretur, erat.
Sed quod, ut assueta est, præclaris derogat actis,
Ex ista nobis parte maligna fuit.
Expulit audaces Aquilæ præsentia Gallos,
Tantus in Augusto nomine terror erat.
Et neq; sustinuit metantem castra uidere,
Quem poterat dici non timuisse prius.
Quodq; minus potuit sumptis bellator in armis,
Tentatum precibus, pene peregit opus.
Sed retro cessisse doles, quererisque fuisse
Non satis irata fulmina iacta manu.
Hoc tibi quicquid erat, fugiente pepercimus illo,
Cuius eras nobis crimine pene nocens.
In tua nos patria grassari uiscera dextra,
Finge age (& hoc aliquis cui placuisset erat)
At potui, & uolui, cædentem longius ipsum

Infestis Aquilis in sua regna sequi.
Quo minus id possem, commissum est fraude meorũ,
Heu etiam nostris nunc malè sancta fides.
Prisca fidem coluit sanctam Germania, nec gens
Clarior hac nobis, testis es ipsa, fuit.
Nunc sua perfidiæ paßim sunt præmia, paßim
Perfida sacrilega pro stipe castra merent.
Quantum tu cuperes, si posses uera, negare
Apula non aliquo prodita regna dolo.
Quàm malè dißimulat, sub proditione nefanda
Cepisse anguigerum Gallica crista ducem.
Nos quoq; dij facerent, non amplius illa petisset,
Solaq; de nobis perfida Brugi fores.
Iam neq; plus nimio tardantes quæsta fuisses,
Inq; sinu poteras nos habuisse tuo.
Quòd non ille meis poterat nunc mitior armis
Adria, non pugnax impedisse Ligur,
An pacem toties Venetũm petisse rebellem
Nescis, & pondus non habuisse preces?
Quàm fuit antiquam satius coluisse paludem,
Iratos terra quàm tolerare deos?
Aspice, & ipsa tuos te contemplare per artus,
Non macula est Veneti sanguinis una tibi.
Illa quidem nostris nunquam feliciter armis
Restitit, in patrio gens animosa mari.
Perdita deflet adhuc amisso castra Roberto.
Pluraq; in Austriaca signa uidenda domo.
Respice, teq; retro bis quinis collige ab annis,

Inuenies faustum hanc constituisse nihil.
Exiguo quoties numerosas milite turmas
Fudimus, & parua maxima castra manu?
Scit Padus & propior Mantoæ Myncius urbi,
Atq; Antenorei tecta superba laris.
Testis & æquoreæ clades lachrymosa Rauennæ,
Heu tellus quantum sanguinis illa bibit.
Scit Verona suis per nos animosior armis,
Nec toties uictam Brixia pulchra negat.
Mœnia nec miseræ quondam, nunc capta Cremonæ,
Nec Vicentinus, nec Mutinensis ager,
Ipsa paludosi dominatrix lenta profundi,
Ante suas legit fulmina nostra domus.
Linigeri medio trepidarunt æquore nautæ,
Linquentes pauida retia lapsa manu.
Nunc erat utendum parta tot pace per annos,
Nostráq; felici Roma adeunda pede.
Ecce timet Latia clausus speculator in arce,
Fors Capitolinum surgere posse Iouem.
Ecce timet, Gallumq; uocat, dubitatq; manere
Sub domino Romam Cæsare posse suam.
Heu tibi cælestis collator prouide regni,
Debueras nobis hæc sinere, ista sequi,
Et cum credaris superorum ianitor aulæ,
Cur aliena precor claudere regna uoles?
Nos te Romanæ dominum ditionis & urbis
Fecimus, in capite est nostra corona tuo.
Vtere pace bona nobiscum, rebus inemptis,

Contra nos nobis debita, stare ueta.
Nam qui promißi claueis promisit olympi,
Martia pro regnis non dedit arma tibi.
Pro populis baculum cepisti, pastor ut esses,
Non ut cum populis bella cruenta geras.
Nos tibi quam iustũ est, quã nos debere fatemur,
Non uolumus sanctam non soluisse fidem.
Tu modo ne nimium nobis insurge, nec unquam
Externos dominos in mea regna uoca.
Tu quoq; ne dubita, regni pars optima nostri,
Vtilis ex multa parte querela tua est,
Indignos regnare doles, & Romula scribis,
Nescio cui misere prodita regna dolo.
Venit ab occiduo qui te conuellat Ibero,
Hinc Venetus partes abripit, inde Ligur.
Quodq; magis miror, prædatrix Græcia tutam
Non sinit, hinc grauis est Illyris ora tibi,
Aspicis euersas quasdam, & sine mœnibus, urbes,
Squallidaq; informi signa uetusta situ.
Et nunc, materia quod erat potiore dolendum,
In gremio claudis Gallica castra tuo.
Fer, confide deo, spera bene, lubrica nunquam
Fortuna in summo cardine stare potest.
Semper, & á prima surgentis origine Romæ,
Fortunæ facies non fuit una tibi.
Europæ atq; Asiæ domuisti, & Punica regna,
An rogo quod pudeat dicere, passa nihil?
Aspice fœdantes incensam Senonas urbem,

Patricioq; putres sanguine stare uias.
Quid memorem lectas sæpe amisisse cohortes?
Quale tibi imposuit Samnis aquosa iugum?
Quàm citò de Siculis pepulisti finibus Afros?
Dißimules uictam sæpius esse licet.
Arma bis octonos Pœni tolerasse per annos,
Clade tua testis proxima es ipsa tibi.
Quàm funesta tibi fuerint Thrasimenia tempe,
Scit Trebia, & Ticino proxima rura tuo.
Quid lachrymabilius, Cannarum nomine Romæ,
Tot simul amißis milibus esse potest?
An ne pharetratos Parthos impune lacessis?
Auxerat Euphratem sanguinis unda tui,
Europæ domitum signis uictricibus orbem,
Asserere innumera non sine clade potes.
Vt taceam Gallos, quoniam pudet, aspice, quanti
Vincere pugnacem constitit Illyriam.
Vt taceam, quoscunq; mihi est numerare molestum,
Te quibus ipsa doces imposuisse iugum.
Nostra tuo quoties Germania milite tacta est,
Incepti poterat pœnituisse tui.
Nec tibi tentatum genus infelicius ullum,
Cum seruam uelles, quæ tibi nunc domina est,
Nec fortuna dedit cursum tibi semper eundem,
Nec similis uisa es perpetua ipsa tui.
Nunc oppressa malis, rebus nunc aucta secundis,
Nunc uer arrisit, nunc tibi sæuit hyems.
Spirat inæquali semper dea lubrica flatu,

Æquitas rerum non amat illa uices.
Cuius ut exemplum uideas, te respice, dices
Ludere fortunam non potuisse magis.
Nos quoq; per uarios eadem sors ipsa labores,
Multiplici rerum lubricitate tulit.
Nobiscum nata est, & in ipso flore iuuentæ,
Tota fere armorum gloria nostra fuit.
Vidit, & inuidit, quæ corripit omnia secum,
Et signum in nobis se dedit esse deam.
Quodq; fuit nulla nobis ratione timendum,
In propria carcer gente paratus erat.
Sæpe rebellantes toties uicisse Sycambros,
Est iterum atq; iterum causa fuisse pium.
Quis fudisse acies Gallorum sæpe superbas
Nescit, & ingenti strage dedisse neci?
Ad mea Pannoniæ tremuit domus arma, fuitq;
Consultæ facies omnibus una fugæ.
Et nisi tot uariata modis fortuna fuisset,
Vis mea bellaces contudit Heluetios.
Hæc tumidos gladio fudit uictore Bohemos
Dextra, Palatinas cum sequerentur opes.
Infidos pepuli patrio de limite Turcas.
O & adhuc aliqua gens adeunda manu.
Cuncta referre piget, nec enim breuis omnia charta
Seruatura modum pagina ferre potest.
Nunc quoq;, quanta tuis tot retro abeuntibus annis
Æ diderim campis funera nemo rogat.
Quid mirum, si fortunæ cessisse parumper,

Differ

Differre & tantum si uideamur opus?
Tu quereris, causasq; times, quæsisse morandi,
Et spacium iusto maius abesse doles.
Et uelut admoneas, imitari exempla parentum,
Segnitiem exprobras, desidiamq; notas.
Desine ab exemplis metiri facta, nec istis
Conferre antiquis tempora nostra uelis.
Quos tum commemoras geminorũ splendor Othonũ
Longe alia tantus conditione fuit.
Tunc neq; tot dominos habuit Germania reges,
Nec dum contemptus Cæsaris iste fuit.
Paruit Augustis patrij concordia regni.
Constituit proprium nemo sibi imperium.
Si quando expedijt legiones ducere, & usquam
Martia in hostili ponere castra loco,
Militiam nemo tum detrectabat honestam,
Gloriaq; in castris Cæsaris esse fuit.
Nunc confisi opibus nobis blandimur, & inter
Summa uoluptates uiuere militia est.
Et nos quando adeò Cæsar sibi quisq; uidetur,
Accipimus præter nomen inane nihil,
Sæpe quidem mandata damus, regniq; senatum
Cogimus, auspicio deserimusq; bono.
Semper at hoc iterum faciendum iterũq;, nec unquã,
Concilij finem lubricus orbis habet.
Donec inutilibus terimus conuentibus æuum,
Hostibus infidis quid nisi præda sumus.
Ah pudet Imperij, quoties illa inclyta mentem

Euxi-

Euxini subijt luxq; decusq; maris.
At nisi nos fallant promißi oracula fati,
Pro tali pœnas crimine Turca dabis.
Ante coëgerimus Venetûm in sua stagna rebellem,
Fregerimus cristam Galle superbe tuam.
Tunc dabitur nostræ iam lapsa palatia Romæ
Visere, & augusto Tybridis amne uehi.
Quoq; minus dubites, iam nõ promissa, sed ipsam
Aspice non ficto pondere stare fidem.
Dum nos Vindelici præceps Augusta Sueui
Detinet, & populis Martia iura damus.
Dum tibi Teutonicæ fortißima pectora gentes,
Tot coniuratis milibus arma parant.
Interea Venetum sociatis milibus agmen,
Quadraginta hominum millia Gallus agit.
Iam tutò populatus agros, populatus & urbes,
Abstulit irato fulmina pene Ioui.
Ha scelus & nunquam uiolentia tuta pericli,
Galle diu ludus non stetit iste tibi.
Inclyta decerat adhuc tantis Verona triumphis,
Spes nata est Venetis hanc quoq; posse capi.
Ter frustra oppugnant, magna ter cæde repulsi,
Quòd nequeunt armis, hoc uoluere minis.
Dira quidem nostris ducibus, datur optio, uellent
Siue urbem triduo tradere, siue mori.
Improbè tu ne minis gentem terrere prohanis,
Quàm nequeas armis uincere, Galle uoles?
Venit, & aërias iam tertia depulit umbras,

Propi

Propitia nostris luce reuecta dies.
Ecce adsunt, & prima alacres ad mœnia Galli,
Tormenta adijciunt, excidiumq; parant.
Porta fuit positis modicè firmata catenis,
Peruia tormentis sponte relicta ducum.
Qua licet irrumpunt, duris cataphrattus in armis,
Pars peditum nostræ maxima gentis erat.
Iamq; uidebantur toto sibi uincere Marte,
Iamq; ferè illuuies tota recepta fuit.
Rupit ab insidijs, quod in istum iussimus usum,
Talibus hospitibus tale dare hospitium.
Hanc te ferre stipem miles Germane decebat,
Hæc erat officio gratia digna tuo.
Quid referam, quantam ædiderint tormenta ruinam?
Horret adhuc animus, & meminisse graue est,
Pelluntur Veneti imbelles, Galliq; minaces.
Plura sed illorum millia cæsa manent.
Noster at interea uictrici exercitus urbi,
Aduenit, & spolium, relliquiasq; legit.
Quem nunc ecce tuis uictorem cernis in oris,
Pro te, pro patria Martia castra sequi.
Spem nunc interea tibi nos præmittimus, ut sit
Quod matus multo polliceare tibi,
Vt taceam, quantas pro se Germania uires,
Quot queat inuictos mittere sola duces,
Vngarus accedit pugnax, acerq; Bohemus,
Et qui uasta ferox rura Polonus arat,
Ducet ab Occiduo turmas Hispanus Ibero,

Fida suam nobis Anglia mittet opem.
Finge age, non aliquæ uires, non ulla sequantur
Auxilia, Augustæ destituantur opes.
Sola potest Venetos tumidumq; repellere Gallum,
Sueta utrumq; diu uincere nostra domus.
Et mea non uno contenta est Austria regno,
Mater & innumeris regibus illa fuit.
Illius aspicias populis florentibus urbes,
Gallorum uires dixeris esse nihil.
Qua toties Venetûm uirtute potentia fracta est,
Hanc tibi, si nescis, Austria sola dedit.
Rhenus ab Ausonijs quantum fugit Alpibus, et quod
Hæc inter spacium claudit utrumq; mare.
Tam latè patrium regnum exercemus, & illud
Vix etiam Odrysijs terminat Ister aquis.
Vnde nec imbelles Indos, mollesúe Sabæos,
Nec Persam medias ducimus inter opes.
Sed genus acre uirûm, ferroq; horrenia latè
Agmina, non aliquo sueta labore premi.
Gentem animo infracto, patientem frigus & æstum,
Tamq; sitim docta, quàm tolerare fàmem.
His ego tot populis Gallum prohibere minacem,
Deq; tuo potui pellere, ut ante, sinu.
Fortunæ sed erat cedendum temporis huius,
Quam sæpe inuitam detinuisse nocet.
Nunc eadem euentum meliorem spondet, & audet
Dicere, se facti, pœnituisse sui.
Fata datas æquè rerum moderentur habenas,

Certum est siue tibi uincere, siue mori.
Viribus imperij sociata resumimus arma.
Ducturi in fines protinus illa tuos.
Arma nec antiquum tantum uisura Tridentum,
Arma per Alpinas longè abitura niues.
Tum neq; raptoris uecors insania Galli,
Euganei obsistet nec domina illa maris.
Non aliquem dices Friderichum animosius isse,
Europam atq; Asiam fregerit ille licet.
Tum mihi retrogrados Florentia pingere cancros
Audeat, & claro sub Ioue ferre faces.
Tum medijs saxo recitent noua carmina scœnis,
Contemptu careant nulla theatra mei.
Non tamen illa mouent, quantum tua damna preces q;
Vdaq; de lachrymis littera facta tuis.
Qua libet interea, quoniam licet, improba iactent
Consilia, ingrati pessima turba animi.
Pœna scelus sua quodq; manet, sine crimine læsa
Inuenit ultores gloria uera deos.
At tu passa graues motus, iam pene coloris
Indiga, iam morbis pallida, iamq; senex.
Quæ iam fracta malis, poteras & mortua credi,
Cui uitam aduentus spes fouet una mei,
Ecce nouum spondet rerum fortuna tenorem,
Iam cita desæuit, iam reuoluta rota est.
Adde nouas animo uires, priscumq; resume
Ornatum, nec te iam perijsse puta.
Nostra mane, nec cede malis, teq; inclyta serua,

Exiguum est, quod nos tempus abesse feres.
Ante quidem quàm tu, uel quisquam credere possit,
Polliciti cernes pondera plena mei.
Cætera quæ cuperes, tibi nos responsa feremus,
Armorum potuit litera ferre nihil.

VLRICHI AB HVTTEN EQVITIS GER. AD CARDINALEM Hadrianum, uirum doctissimum, & Germanorum in urbe patronum, pro Capnione intercessio.

INclyte Pierij tutor gregis, inclyte uates,
Quo potuit reddi uindice Roma sibi.
Cuius ab ingenio diuino tincta lepore,
Legimus Arctoi scripta sub axe poli,
Cuius & Hercynias quanquã Ister obambulet arces,
Mirari didicit carmen & ingenium.
Fer Iuuenem Huttenum genua ad tua, uertice prono,
Pro Capnione suo supplicis esse loco.
Cernis, ut infensi conentur atrocia fratres,
Et tot in afflictum millia stare senem.
Intrepidus contrà ille sedet, mens conscia recti
Hinc fidit, pauidos expulit inde metus.
Da media de plebe aliquem, da casibus istis,
Non poterit tantis pulsibus esse satis.
Spicea serta quater iam torrida protulit æstas,

Stat

Stat tamen, & facto sustinet orbe premi.
Ardet Hogostrattus, liuentiaq; agmina ductor,
Ante agit, & tanto sufficit imperio.
Fert rapidam dextra tædam, geminasque sinistra,
Quem petit arsuras sub Capnione faces.
Ebrius Ortuinus furit, haud procul à duce, gnarus
Depugnaturos ære ciere uiros.
Quem sequitur, multisq; præit, gaudetq; uideri
Tungarus, intuitu signa minace ferens.
Quorum terga premit non enarrabile uulgus,
Turbida Felsinei Phratria Domminici.
Attonitiq; sophi, atq; obstipa fronte magistri,
Terribilis stricto turba supercilio,
Parte omni circum insidiæ, tela undiq; & hostes
Tu uates uatis commiserare uicem.
Ne tamen adflictis fer opem pater optime rebus,
Si causa est, quare debeat ista pati.
Miræ artes, summum ingenium, nota undiq; uirtus,
Prima uiro tanti causa fuere mali.
Qui nisi Cæsareis uoluisset cædere iußis,
Hoc scelus haud ratio, cur pateretur erat,
Consilium dixisse nocet, quis credidit unquam
Obsequium dominis regibus esse nefas?
Nec tu hos contemni debere putaueris hostes,
Quos temere nostri non timuere patres.
Cæsaris Henrichi cædes, mixtumq; uenenum
Christi in pane, pij regis ad interitum,
Et tua quam tetigisse potest Hieronymus ætas,

Quiq; Nemetensi rure Vigandus agit,
Quiq; apud Heluetias iam uiuit Letferus urbes,
Quodq; meo facinus tempore Berna dedit.
Et quod Parrhisia exemplum manauit ab urbe,
Quantum ausint, quæ sit uis, documenta dabũt,
Scilicet hoc quantũ est, tulerint impunè tot annos.
Nunc decet ultrici plectere facta cruce.
Tu potes auxilio fessis succurrere rebus,
Tu potes hostilem conficere inuidiam.
Ni foret hoc durum, potui quoq; dicere, debes,
Teutona si frustra non uocat ora suum.
Te fidei commissa tuæ Germania legit
Tutorem populi nominis atq; sui.
Contingit proprios patronum orare clientes,
Ah age, quæ tua sunt, aspice magne pater.
Causa grauis, scelus est ingens, ingensq; periclum.
Ne contemne datas pro Capnione preces.
Qui, si qua occiderit (quod abominor) occidit una
Teutonicæ gentis lux, patriæq; decus.
Interpone manum, serua lucemq; decusq;,
Terræ eius, quæ te gaudet habere patrem.
Quid, quòd Hogostrattius contra patriam imperiũq;
Proh facinus Galli flagitat hostis opem?
Flagitat hostis opem, nos contrà oramus amici,
Disperem, si quid iustius esse potest.
Nos seruare decus patriæ conamur, hic audet
In patriæ clades hostica regna sequi.
Quod petit iniustum est, quid si quoq; iusta petisset?
Debuit hæc, sed non debuit in patriam.

Desere, si quicquam meruit malè, desere, pró quo
Nunc ego, contendit gens Alamanna prius,
Et pro quo orauit toties te Cæsar amico.
Sume meas, patriæ, Cæsareasq; preces.
Contra iura metus nihil est, iniusta timemus,
Vimq; hanc, & quæ nos contrait ira potens.
Miscet Hogostrattus fas omne nefasq; per artem.
Remq; adeò gerit hanc largitione palam.
Ne queat insontes inimica potentia mores
Obruere, & uacuo fraudis obesse uiro.
Per te istas oramus opes, per Cæsarem amicum,
Et per fortunæ splendida dona tuæ.
Per decus, & sanctæ reuigentia mœnia Romæ.
Per si quid Roma sanctius esse potest,
Perq; tuam, quam non nescit Germania, laudem,
Per quod te tantum protulit ingenium,
Insontis miserere animi, miserere tuorum,
Ne minus hinc quisquam gaudeat esse tuus.
Vnius oramus uitam, unusque salutem,
Sed cui multorum mixta pericla uides.
Aut multis erit: erepto Capnione: triumphus,
Aut uicto in multos ingruet ille dolor.
Quisquis ab ingenio uicturam quærere famam,
Aut aliquid studuit laudis ab arte bona.
Et si quis rectè didicit, quod discere rectum est,
Et si quem sensu, non iuuat esse rudi.
(Nam neq; iudice me, superest quid mitius illi,)
Aut stabit, lapso aut cum Capnione cadet.

VLRICHI AB HVTTEN EQVITIS GERMANI IN SEquens Encomium triumphanti Capnioni decantatum, ad Principem ac populum Germanorum præfatio.

ECce uobis triumphum Capnionis, ô Germani, eius Capnionis, quem uos è faucibus perditissimorum hominum Theologistarũ, ut uobis superesset hæc gloria, summa contentione eripuistis. Proinde exultate ac plaudite. Non parua enim res effecta est, datumq; uestri erga summos uiros studij documentũ ingens. Per culsa infimorum hominum inuidia. Effrenatæ profligatorum nebulonum libidini frenum inditum. Habitus honor studijs. Proposita uirtutibus præmia. Reuocatæ ab interitu literæ, dijs gratia. Ex longo ac pudendo errore oculos recepit Germania. Sic uos laturos Capnionis afflictionem, ut multa nostri maiores, putabant. Quod quia secus cessit, deûm atq; hominum fidem incusant. Quia enim tottantaq; prius scelera impune tulerunt, innocente erepto Capnione, indigna se pati clamitant, quod certius nihil existimauerint nuper, quàm se potitos aduersus Capnionem ac literas uictoria, cum anno ab hinc tertio euntem Romam, pecunia, seruitijs ac equis instructũ Hogostratum, modestius fortuna uteretur, frustra monerem, ut qui semel sublatis cornibus ferocire non desineret, securus sibi confectæ feliciter rei. Memini op

pro-

probratam nobis in Italia hominis insolentiam. Tantum inquit aliquis, licet in Germania fratribus: Velabam ipse uerbis, quantum licuit, nostram turpitudinẽ. Et cum passim Bernense scelus caneretur, dissimulabam, è quorum colluuione immensa prope ac pessimi exempli scelera profluxissent, eos apud nos augeri honoribus, dotari muneribus, ac redditibus locupletari. Porrò illud metuebam ne erumperet, id hominum genus censendis moribus ac studijs nostris præfici. Affligebatur interea bonus Capnion, ipse nostrã uicem dolebam, & mecum insontis casum indignabar amici. Neq; segnius parta iam uictoria exulto, ut qui in exitium pessimorum hominum latam iam patefactam fenestram uideam. Quippe Turcas nego aut ardentiori dignos odio, aut maiori oppugnandos opere. Hi sunt, quibus tẽporum infelicitate recta studia interierunt, literæ proculcatæ sunt, diuina Theologia ad inutilem loquacitatem, meras nugas, aniles ineptias recidit. Latius iam euagor, nec uos pigrè agnoscitis Theologistæ, uestræ uobis culpæ cõscij. Quibus profecto lætius nihil ominor, quàm ut regnasse uos dicatis. Valent artes, uigent studia, florent ingenia, barbaries exulat, doctissimum Pontificem uestræ piget stoliditatis. An quicquam ultrà audebitis, quibus tã infeliciter auri Iudaici piscatura cessit? Ne facite, oculos habet Germania, uobis detractum uelum, in aperto constituti neminem cælabitis. Regnastis, aut malo Christianæ Reip. fato, aut eorum, qui uos passi sunt

scelere. Quis enim per deos immortales tam iniquus Pontifex, qui nobis primus hoc iugum imponebat? Aut quis ita ignauus orbis terræ Imperator, qui sic manifestè nostram nobis libertatem eripi sinebat? Sed rectè aduersus Capnionem insurrexistis hoc tempore. Nam eius uiri magnitudine perspectissima, ignorare se diutius Germania non potuit, seruare suũ decus, suam gloriam studuit. Mecum igitur insultate uictis Germani. Nam quo maiori difficultate hæc parta uictoria est, utpote octauum iam annum oppugnato Capnione, eo uos tenacius meminisse in posterũ oportebit, quatenus quid ferre debeatis. Sed iam triumphantem Capnionem spectate, ac plaudite.

IN TRIVMPHVM IOANNIS REVCHLIN, ALIAS CAPNIONIS, ex deuictis Theologistis Coloniensibus, & Prædicatorum ordinis fratribus, Encomion Vlrichi ab Hut. Eq. Ger. incipit.

Dicat Io, si se nouit Germania, dicat,
Virtutemq; suam dignis concentibus æquet.
Ecce triumphantem excisos Capniona sophistas,
Et debellatos recipit sua patria fratres.
Nec tamen una capit, quanta est Germania partem
Plena uiri defert, & ab hoc splendore nitescit,
Integer ille tamen patriæ redit, abijce curas,

Si

Si qua tibi belli est, siue est tibi Phorca gerendæ
Vlla rei, studiumq; unus tibi uendicet omne,
Vnus enim decori est. Quòd si unquã mœnia posset
Heluetius delere furor, populiq; bibentes
Exiguos Rheni fomeis, & sortis iniquæ
Te premerent casus, ruerent turresq; domusq;,
Occideret populus, solo hoc tantum staret alumno
Fama super, scirentq; tuum uenientia nomen
Secula. Quid ciues fortunam aut arma timetis?
Iamdudum est aliquid muro uiuacius isto,
Turribus ac templis istis, tectisq; domorum,
Munera quæ uester uobis largitur alumnus,
Inuitis equidem fortunæ osoribus amplæ,
Et quibus in uoto est, famam allatrare bonorum,
Qualis erat, stat adhuc, stabitque cadentibus istis
Contemptum in cinerem. Namq; hac compage soluta
Corporis, ille tamen uiuet. Mors iuris habebit
In Capniona nihil. Iam uertice sidera tangit,
Iam diuinus homo uolat, & mortalia temnit
Inuidiaq; sua maior, nec tangitur ulli,
Nec curat quenquam, merito tu patria gaude
Læta tuo, quod enim genuisti, hæc ille rependit
Præmia, ut in seros maneat tibi fama nepotes,
Vos etiam ante alios certate, & uincite ciues.
Vester hic est, & ut est, passim iactare licebit,
Quod foret exitio populi, uestroq; parandum
Sanguine, desidibus uobis, & pace solutis,
Ille dedit peperitq; suo discrimine famam

Nominis æterni, quæq; omne supersit in æuum,
Dicat Io, si se nouit Germania, dicat,]
Ingeminetq; iterum, bis Io uictoria clamat,
Et secum clamare iubet Capnione recepto.
Huc iuuenes, huc ite senes, celebrate triumphum.
Turba ruat matrumq; uirûmq;, & læta puellæ
Agmina, compti omnes, & festis cantibus omnes
Serta gerant, floresq; uij; & olentia spargant
Gramina, dent frondes, & primos ueris honores,
Dent manibus teneros frondenti ex arbore ramos,
Sit demissa uiris toga uestis, sit uaga castis
Instita matronis, longæq; uelamina pallæ.
Præterea lectæ peregrino ex æquore baccæ,
Inclusæq; auro gemmæ, cum torquibus aureis,
Sit stola, sint limbi, uinctoq; monilia collo.
Sericaq;, & raræ uestes, precioq; coloreq;,
Et strophium, et capitis uelum, quod cũ niue certet,
Quicquid & ornatus, quicquid cultusq; nitorisque
Et quod quæq; potest, & quod sua quãq; facultas
Ferre sinit, quæ cuiq; domi stat copia rerum.
Candida succinctas commendent Galbana nymphas,
Et zona, uirgineumq; astringens fascia pectus,
Coraliumq; teres, rubicundi insigne pudoris,
Quæq; alibi molles signant gestamina mores,
Hic etiam castas deceant. Sint uertice nudo,
In tergo effusis, quos uerberet aura, capillis.
Pexaq; contortis circundent tempora sertis,
Vna omnes hi uoce canant, uno ore loquantur,

Quan

Quam sibi seruarunt: Capnione superstite: laudem,
Dicat Io, si se nouit Germania, dicat.
Vix melior, cur dicat Io, se causa dedisset,
Cæsare ab Buganeis, nacto spolia ampla Tyrannis,
Fortè tamen melior, sed non pugnauit in armis
Noster hic, haud gladios præfixaq; robora ferro,
Pugnantis gestamen erat, neq; casside uertex
Splenduit, & nullus muniuit pectora thorax,
Certatum ingenio est, uicit tot millia solus,
Victor ab oppressis Venetis, Galloq; subacto
Citra Athesis tumulos, & onustas nubibus Alpeis,
Terrarum dominus, si quando ad uota redibit,
Quæ dijs persoluat patrijs, augustior illo
Plausus erit populi, & pro conditione triumphus,
Altera tum scœnæ facies erit, altera pompæ,
Et perhibenda oculis alio spectacula ritu,
Fulgidus ipse auro, & curru sublimis eburno,
Post Venetas se ostendet opes, quosq; Adria longo
Tempore, tot spolijs populorum aggessit in unum,
Thesauros uehet, & raptas prædonis iniqui
Diuitias portabit, aqua terrisq; petitas.
Et spoliatorum miserè patrimonia regum,
Ibunt & scelerum autores in uestibus atris,
Fune ligati omnes, uinclisq; tenacibus omnes,
Nec se iam Venetos dicent, aut esse putabunt,
Terga prement equites, atq; auxiliaria belli,
Turba ducum, ereptiq; armis, & ab hoste recepti
Captiui ciues, nitidisque exercitus armis,

Et quæ non locus est, ut nunc ex ordine dicam,
Omnibus argentum Germanis, omnibus aurum
Ex præda dabitur, [illegible]mmæq; & purpura & ostro
Distinctæ uestes, & [illegible] preciosius istis
Esse potest aliquid, diuersis tunc quoq; surgent
Fixa trophœa locis, uictorum æterna subinde
Virtutis monumenta suæ, memorabile nomen,
Sentiet hoc, miroq; feret noua gaudia Rhenus,
Et se lætitia ripa diffundet utraq;.
Exultabit agris, & campo ludet aperto,

Carolus Magnus.

Qualis erat, cum te reducem uictricibus armis
Orbe perarato, uictisque, quot orbis adisses
Marte æquo, populis, tumido lætissimus amne
Acciperet domitis regnantem Carole Gallis,
Deq; tuis genti tradentem nomina Francis,
Aut certè quàm lætus erat, patiente supremam
Italia cladem, rigida Friderichus ab Alpe
Cum transportaret, Sueuisq; exponeret aruis
Terribiles aquilas, mortemq; ferentia castra
Sentiet hoc, secumq; Ister feret amne secundo,
Perculsura feros tristissima nuncia Turcas.
Vltimus Arctoum transibit rumor ad Albim,
Isq; tibi gaudebit ouans, hilaremq; perinde
Ostendet uultum, & pleno lasciuiet amne,
At si fortè suos iterum cognoscat Ottones,
Victores Latij, patriam componere pacem,
Scilicet excisis Veretis Germania ducet,
Longè alium in morem tibi Maximiliane triũphum.

Nunc

Nunc locus est merito Capnionem inducere plausu,
Ingenioq; uiri dignas persoluere grates.
Ingenij labor est, sint præmia digna labori.
Par animo referatur honos, neue haud sit honorum
Auspicijs uicisse tuis, sine Cæsar ouanti
Pro lauro molles hederæ decerpere frondes,
Quanquã etiam lauri, quam tu, cum præmia magnis
Confers ingenijs, hac uatum tempora cingis.
Non petit ipse quidem, sed nos decerpimus illi.
Dicat Io, si se nouit Germania, dicat,
Obuiaq; incedat paruæ prope mœnia Phorcæ,
Quanta potest numero Capnioni læta reuerso
Ille redux curru uehitur, uictisq; triumphat
Hostibus, & secum sceleratæ agit agmina turbæ,
Vicit enim, uictosq; iubet se ducier ante.
Conspicuam populo prædam. Ne quære, quis hostis
Spectator, monstra ipsa uides, monstra, omnia mõstra,
Herculea mactanda manu. Sed ab Hercule certè
Res acta est, uicitq; senex, uictorq; triumpho
Domminici fratres duci iubet, hostibus illis
Confectum est bellum. Tum, qui adiuuere, trahũtur
Ante triumphales, Capnione sequente, paratus,
Ex Vbijs delecta manus, tu Tungare frustra
Nunc mœrens, quiq; insignes Ortuine furores
Attuleras tecum, uanam sine uiribus iram,
His comes, & belli scelerata ligatur origo,
Ad Christi temere sectam traductus Apella,
Quem sequitur numero non enarrabile uulgus

Tri-

Triste sophistarum, uinctiq; à funè magistri,
Ausi omnes immane nefas, ausoq; repulsi,
Quos quia nunc spectat manibus post terga ligatis,
Nil ultrà audere, & uictorem agnoscere uictos.
Dicat Io, si se nouit Germania, dicat.
Iam uacuum curis, atq; ambitione solutum,
Viuentemq; sibi, reliquoq; suauius uti
Tempore quærentem, studia inter sancta libros q;
Lite relegata fessum, effœtumq; senecta
Inuasere senem innocuum, nil tale merentem,
Causa uiros mouit, quia nil superesse uidebant,
Post Bernense nefas, quo se inquinare liceret,
Respexere diu, placuit, Capnione reperto,
Erexere inuidiæ stimulos, solitumq; uenenum,
Sollicitis quo principio se accingere possent,
Flagitio, curas recutitus apostata soluit.
Consiliumq; dedit, sed uersu dicere durum est.

Ioannes Peperkorn Iudæus.

A piperis grano Germanum nomen adepti,
Hunc olim pœnas fugientem, extrema secutum
Opprobrijs coopertum hominem, famaq; sinistra,
Flagitijq; reum, simulantem, ac multa uouentem
Ad Christi traxere fidem, præstabat in illa
Relligione mori, & pro factis soluere pœnas,
Quàm bellum ac fœdas nobiscum accendere lites.
Nescio quæ stolidus commenta ædenda pararat,
Certè aliquas nugas, patriæ secreta relictæ
Sacra recludebat, Iudæosque igne cremandos
Censuit esse libros, passimq; hæc ædita iussit

Esse palam, populoq; legi, iamq; id fore magnum
Crediderat, nugasq; suas laudabat ineptus.
Tum dare consilium nostris magnatibus ausus,
Bellus homo, grauibus causam de rebus agebat.
Contrà aliquid noster facto consultus eodem
Scripserat, ignarus, quid proposuisset Apella.
Arripit hic ansam, uentum est ad iurgia, mouit
Magnum animum Iudæus homo: scelus omne refellit,
Et pro se dicit Capnion, iterumq; rebellem
Et quiddam sceleris molitum, insigniter acri
Impete congressus fundit: uidistis euntem,
Fronte humili ciues, audistis humillima uerba
Ridiculi capitis, ut qui nil Marte ualeret,
Fraude noua peteret, demisso ibi perfidus ore,
Pallidus, informis (quanquam est hoc semper) et atra
Flebilis in tunica, monachos adit, haud ita facti
Ignaros, ut Apella dolo prætendit, ut ipsi
Hoc simulant. Tũc falsa mouet miseratio fratres,
Continuò & bellum Capnioni triste minantur,
Nisi quæ ædiderat, damnet, uerbumq; retractet,
Esse aliquid scriptum damnabile, eq; peritos,
Hinc inde arreptos uariè distendere sensus,
Et monstrare nefas, quenq; ignorauerit ipse
Eluere errorem, solos se cernere uerum,
Idq; ab se quæri. Negat ille errasse, paratur
Iudicium, accusat Capnionem & iudicat idem
Acer Hogostrattus, scriptis quoq; lædere quærunt,
Allexere Thios fratrum ad se cœpta Sophistas,

Vnà omnes ruere, & pugnam miscere parati,
Pallidus imprimis, & olenti Tungarus ore.
Vltro scribit opus, cui putidiore Minerua
Ebrius Ortuinus scabris se uersibus addit,
Deinde alij certant. Hos tu Chrysippe Menenè
Non addes populo? uel non damnabis apertè
Ostensum nulla Anticyra purgabile uirus?
Ridiculum bellum illud erat, sed grande periclum
Ni fatuos ausus, & dementißima cœpta,
Ingenium, notæq; uiri facundia laudis
Ostendat cunctis, Capnioni instabat, & ignis
Causa gerebatur, quam quo grauiore periclo
Rem confecit, eo deuicto lætior hoste.
Dicat Io, si se nouit Germania, dicat,
Fletum Heraclites, risum Democritus iret,
Stultitiam immodicam, uel quòd se audacia tantum
Extulerit, uel quòd cui totum insania pectus
Poßideat, rectè sapere, & se dicere credat,
Persuasum tamen est illis, sese omnia solos
Cernere, quid uerum, quid falsum, quid sit iniquum.
Idq; ita non Phœbi tripodas, deloq; petitum
Respondisse deum, Dodoneasq; uolucreis,
Corniger, & si quid Libycis in syrtibus Hammon
Rettulerit uapido de sole calentibus Afris,
Omnia uera minus. Sed nescio, quid mihi tandem
Succurrit, reor hoc ipsos, ubi peßima dicunt,
Non nescire, sed ex animi contendere atroci
Nequitia, ut rectum uertant, iterumq; reuertant,

Cer

Certè his innatum est scelus hoc, naturaq; primum
Insæuit, uires paulò post indidit usus,
Roboraq; incussit radici, acremq; uigorem.
Nil timidis scelus in quoduis, genutisq; nocere.
Tanquam hæc cum superis habeãt commercia diuis.
Obstrictosq; deos in uota nefaria possint
Cogere, cum placeat, uel cum sua dira libido
Immanisq; uelit liuor, mentesq; superbæ.
Per fas, perq; nefas gerere omnia, dicere, rursumq;
Inficias dicta ire, prius confessa negare.
Nunquam stare animi decreto. Non ita Protheus
Vertit se in uarias species, & uincula ludit
Captantum, pluresq; nodos haud nouit eundi,
In facies multorum hominum Vertumnus, & ora,
Artibus his pugnam miscentibus obuius astat
Noster, & intrepido fatuos secat ore malignos,
Emittitq; libros, mordet, laceratque necatque,
Occidit, facit infames, subigitq; tacere.
Enumerat scelera, & mores. Prò numina, quantis
Viribus, ignotus prius, & nil tale putatus
Posse, dedit documenta sui, quantusque petitus
In clypeum surgat, monumento apparuit uno
Tum fremere, atq; intra irati se rumpere fratres,
Ille exultare, & palmam ostentare retentam,
Iudice non modico, cui non sententia præceps
Excidit assensu uires Germania latè
Addidit, & miro Capnionem euexit honore,
Iamq; triumphales iubet introducere currus,

Dicat Io, si se nouit Germania, dicat.
Totáq; in occursum Capnioni effusa, frequenti
Excipiat plausu uictorem, & læta salutet.
Tam bonus, & uita tam frugi, rectus ad unguem
Vnus homo uicit tot millia, dicite fratres,
Vnde est tantarum uobis prudentia rerum,
Quæ quis uera sciat, nescire ut oporteat illum,
Irrita si uobis uideantur? an impius omnis,
Qui non est, uestri dicetur sermo cucullis?
An quicquam est, quod uos rarum atq; necesse sciatis
Lauriger ignoret Capnion? nisi de scobe si quid
Scripturæ legitur, uestræ artes, indita uestris
Disciplina animis, quam nec nescire pudendum est,
Nec scire ingenuum, uel agendis utile rebus,
Quæ uos Eumenides igitur, uel qui furor egit,
Summum hominẽ pugnam legisse potißimũ ad illã?
Si certare libet, uel si superare docendo,
Vestri aliquem similem de uestra afferte farina,
Vecordes, quid enim superis conferre paratis?
Effractoq; Iouem, in terras detrudere olympo?
Nec cerebrum uobis, nec pectora sanior esset,
Quanquam tot furijs rationi ereptus Orestes,
Sanior, occisum quæ Penthea portat Agaue.
Nemo ita delirus, nemo á se alienus, & extra
Se positus, qui non errorem agnosceret illum.
At sapere hoc uobis, & (quæ dementia uestra est)
Mentis opus uisum est sanæ. Nam spiritus aiunt,
Quod nunquam poteras ullo didicisse magistro,

De

De ſacra quoties eſt relligione loquendum,
Simpliciter doctis, tantum credentibus inflat
Spiritus hoc ſanctus? certè is, at cur potius non
Quicquid in hac dictum eſt à uobis lite, uel actum,
Phantaſus hoc uoluit ſomni prædicere frater?
Aut uarius noctu Morpheus? fallaxq; Phobetor?
Namq; ego quondam inter carpenteis penſa puellas
Semper aliquid ſimile, & ueſtris æquabile nugis,
Audiui, tenuiq; puer. Didiciſtis aniles
In triuijs artes, & ſanctus dicitis illud
Spiritus infudit. Qui ſi inſpirare uolebat,
Cur non hoc potius Capnioni à labe remoto,
Sancto homini, cuius uitam non polluit ullum
Dedecus, in cuius mores nil præter honeſtum
Venit, at eſt animus multa illuſtratus ab arte.
Aut ſi ſanctus is eſt dicendus, qui dedit iſtud,
Quiq; noui ſemper quiddam uel hiantibus inflat,
Dicite qui fuerit, qui ſacrum armare ueneno
Edocuit Chriſti corpus, mortisq; medelam
Exitij cauſam facere, & fomenta ſalutis
Credita perpetuæ, in crudelem uertere cædem,
Num malè nota cano? malè nota, ſed occidit illo
Septimus Henrichus gladio, mixtamq; perenni
Cum uita interitum menſis accepit eiſdem,
E manibus Pauline tuis. Non hoc ſcelus aiunt
Noſtrum eſt, qui multis ſucceſsimus annis,
At ueſter cocus ille fuit, qui miſcuit artis
Condimenta nouæ. Semel, inquis, fecimus illud.

Henricus Imperator ſacramẽto intoxicatus.

Bernense nefas.

Berna negat, scelerisque affert monimenta secundi.
Tempore iam nostro. Tum uos ußisse sopito
Vulnera lessero, & sanctum uoluisse uideri
Francisci fratres, iactent ne scilicet ultrá
Autori concessa suo hæc insignia soli,
Fert eadem simulata deûm responsa, iocosque
Mentitæ Mariæ, per uosque infecta ueneno
Sacramenta palam monstrat, scelerata Vigandi
Vox habita ad populum, diroque asserta libello,
Deinde remansa labris, conceptam in crimine matrē,
Iam uetus historia est. Quod Galla Lutetia narrat.

Parrhisicum delictum.

Vnius est anni, quoddam de plebe cadauer
Restituisse animas, uestrasq; ut crederet arteis
Decepisse rudem populum, pœnasque dedisse,
Vestra hæc sunt, sed adhuc alios deposcitis igni?
Num ueniæ locus est? non est locus. Vrite flammæ,
Et si non æquum est, solo in Capnione furenteis,
Tot saltem uitijs dignos necis, urite flammæ,
Domminici fratres, morbosam exurite gentem,
Tot scelerum autores. Tu qui Capnione subacto
Arsurus fueras, dignam rogo concipe flammam.
Ite omnes, conferte struem, componite fasces.
Dedecus immodicum flamma ulciscemur in illa,
Ferte picem, miscete fasces, date sulphura ciues,
Et reliquum uulgus pœnis abolete secundis,
In Capnione nocens, & adhuc grauiora relictum
Dedecora ausurum, lætos tamen ille triumphos,
Et plausus ferat ante suos, læteque ferenti.

Di-

Dicat Io, si se nouit Germania, dicat.
Nec det Hogostratto in populo componere lites,
Aut damnare bonos, funesti è fauce latronis
Insonteis animas rapiat, sed iam ille ligatis
Post tergum manibus, frendensq; & uincula mordés
Conspiciendus adest, uenienti Phorca triumpho.
Da pompæque locum, foribus sint templa reclusis,
Sint ornatæ omnes, quibus hostia concidat, aræ.
Sparge uijs flores, uernali gramen odore
Disijce, priuatas ostendam singula posti
Serta affixa domus. Vos quicquid nobile ciues,
Quicquid habetis opum, ruite è penetralibus imis,
Quicquid inest pulchri, quicquid mũdiq; uenustiq;
Vtq; ea spectemur, sublimibus ædite tectis.
Pendulaque è pictis hinc inde aulæa fenestris
Ornatura latus demittite parietis ampli.
Vos quoq; finitimi speciem hanc augete Sueui,
Vestrarumque aliquod date signum diuitiarum,
Et festum celebrate diem, celebratior ibit
Vix alius, qui uera magis det gaudia uobis,
Vos ornate urbem, proprioque extendite cultu
Mœnia. Vos portas uectoque aliunde paratu
Conspicuo muros, turresque implete domusque.
Vester honor, uestrũ decus est, uobisq; propinquo
A Capnione redit, quàm nobis gloria maior.
Prodijt à uobis. Omnes audete Sueui,
Vestrum ornamentum plausu iactare superbo.
Hunc præferte alijs, solitosque excellere solos,

Ingenijs Italos, fama ferte esse minores.
De primisq; alicui uestrum componite ciuem.
Nos etiam audemus, Germaniaq; obijcit omnis
Id Latio decoris, fulgentemq; omnibus horis
Tempore perpetuo, pro se & pro laude suorum
Ostendit lucem, & monachis finit ilia rumpi,
Inferior tamen hoc reliqua est Germania uobis,
A Sueuis toti decus hoc, quod prodijt unis,
Dicat Io, si se nouit Germania, dicat,
Victoremq; suum nullo fraudetur honore,
Iam celebri pompa spolijs curruq; propinquum
Prima uehunt iuuenes tabulasq;, & signa, colossosq;
Armaq; deuictorum imbellia, sumptaq; furtim
Instrumenta uiris, telum imbecille, librosque,
Et spolia, & fracto figenda ex hoste trophœa,
Mille argumenta hic, & mille feruntur elenchi,
Et multis nocuum murmur, linguæq; prophanæ,
Sacrilegæq; manus, promptiq; inuadere rictus,
Exertiq; labris dentes, nasiq; recurui,
Luminaq; obliquum deflexa supercilijsq;,
Contractæ frontes, oculiq; horrenda tuentes,
Liuidulæq; genæ, & rabiosa silentia, preßis
Intercepta labris, pleniq; errore cuculli,
Et sæui simulacra ignis, quo perdere sueti
Insontes animas, atq; utilicra docentes.
Prandiaque & luxus, uentresque, unctique catini.
Et lances sapidæ, & pandi nidore palati.
Tum scelera & labes, & morum monstra suorum,

Arma theologistarũ

Para

Parrhisiumq; nefas, & reproba uerba Vigandi,
Et quam Berna dedit nouitas, sibique ipsa malorum
Conscia corda, dolique agles, & iurgia & iræ,
Venditaq; in populo leuis indulgentia Romæ.
Crimen Hogostratti, & qua se falsarius arte
Munijt Arnoldus, dehinc qua ueterator Apella
Proditione dedit causam, belloq;, triumphoq;, Tũgarus.
Improbaq; Ortuini Musa, & lutulentus Apollo.
Factioque exitialis, & ausa calumnia multum,
Et rapti precio tituli, nullisq; negata
Nomina docticulis, & opinio uilis honorum,
Sauguineiq; styli, & multis funesta papyrus.
Et plutei infames, graphiumq; & inutile tempus
Consumptum studio, & citra ullũ industria fructũ,
Quæq; capax scelerum est in pingui mantica tergo,
His armis soliti in magnis progreßibus uti,
Fracta dolent, spectãtque uehi, quæ deinde sequũtur
A se oratarum simulacra erecta dearum,
A quibus auxilia, et cœpti munimina belli
Sperauere rudes, quibus ambitiosa quotannis Numina
Thura precesque ferũt stolidi, quæ numina primo Theolog.
Constituere loco, quarum omnes resq; minasque
Cœpere auspicijs, quibus & si quando secundis
Casibus è bello reditum, furijsque fuisset,
Grata relustratis, posuerunt munera templis.
Prima superstitio est, contemptu ignauior omni Supstitio.
Tota pusillanimis, digna atq; indigna ferendo,
Anxia, tristis, iners, manibusque ad sidera paßis,

Omnia credenti similis, similisq; sequenti,
Sæpeq; respiciens, timido abiectissima uultu,
Multa putans, puerile loquens, alta omnia sperans,
At nihil inquirens, uersata in sorde lutoq;.

Barbaries. Hanc primo posuere loco, sedet arce secunda
Rustica Barbaries, tota aspera, tota rebellis,
Horrida, uilis, atrox, contempto sordida cultu,
Omnis mundiciæ fugiens, fugiensq; nitoris.
Lauta nihil, nihil urbanis se moribus aptans,
Neglectæ rationis egens, stat pectore crasso,
Fert sublime caput, perplexæ in uertice uepres,
Impexiq; rubi, totoq; in corpore sentes.
In toto stimuli, manuum sunt arma pedumq;,
Extantes, solidiq; & acutæ cuspidis ungues.
Et mucronatæ circum fera pectora spinæ.
Ora situ squallent, in oleni est squama palato.
Plumbea lingua iacens. Ea diua inamabilis ultro
Nec quenquam uocat, & nulli se adiungere certat.
Sacra deæ primi faciles fecere Sophistæ.

Ignorãtia Tertia in extructo sedet Ignorantia lecto,
Lauguida, deses, iners, & obeso ingloria uentre,
Impetuosa, uorax, semper leuis, ebria semper.
Digna odio, deformis, hebes, rudis, omnia iactans,
Non aures, non illa oculos habet, utitur una
Plus nimio lingua, sinit ore explere ferinam
Vtilia ingluuiem, nullum est in fronte cerebrum,
Nullus inest sensus, manibus pedibusque uagatur
Incertum, tenebris gaudet, nutritq; profunda

Obſcuros in nocte uiros, gerit ordine nullo
Res, nulloq; modo, ſæpe hæc ſibi diſplicet ipſi.
Miraturq; uiros, qui quòd ſua numina adorent,
Accipium titulos, doctiq; in plebe putantur.
Quarto in loco miſera inuidia eſt, turpiſſima rerũ, Inuidia.
Non deſpecta tamen, ſed culta frequentibus aris.
Dommimici primo dignantur honore ſodales.
Ipſa aſcendenti ſimilis, ſummumq; petenti.
Torua, minax, truculenta, furens, niſi pelle tegatur,
Oſſea, macra genas, neglecto pallida ſomno.
Triſtis, inops, ſine ui ſemper, mœſtiſſima ſemper,
Prompta nocere bonis, alieno læta dolore.
Læta malo, cunq; haud poſſit, quos perdere uellet.
Quaſſatos acuit tacito ſub mumure dentes.
Sanguinis huic nihil eſt, nihil intra uiſcera ſucci,
Felle uiget ſolo, piceiq; alimenta ueneni
Eſuriem uincunt, ſed cum ſine tegmine tres ſint,
Hæc ferrugineo ſola eſt uelamine cincta.
Fercula ſpectaſtis, fœta armis, fœta ruinis.
Quodq; hoſti ſpolium, quæq; eſt ablata ſupellex.
Hoſtica ut ueris concedant numina diuis.
Idq; fuit gratum. Nunc deinde ſequentia ciues
Aſpicite, atq; hilari Capnionem accerſite plauſu.
Dicat Io, ſi ſe nouit Germania, dicat.
Quod cupijt, factum eſt, depreſſa minacia Fratrum
Colla tulere iugum, tum quæ ſeruire negabant,
Ceruices, domitæ ſunt, in ſpectacla coacti,
Et rabidi fratres, & amantes uana ſophiſtæ,

Lugeat, & planctus Agrippinensis acerbos
Det schola, humoq; oculos lugens defigat, & huius
Pœnituisse mali, det signa, & aperta relinquat
Erroris monimenta sui, ueniamq; precetur,
Et pacem infelix, unde unde extorqueat, oret,
Dedat captiuos etiam, sua crimina fratres
Domminici, toruosque nefas crudele sophistas.
Dedat opem si quis tulerat, ferat omnia supplex,
Fœdus adorato saltem ut Capnione reportet,
Quàm mallet laqueo uitam finisse, uel ensi,
Quacunq; impellente manu, latus obdere apertum
Teter Hogostrattus, quàm pompa inducier ista.
Sed neq; perditior, neq; pernitiosior alter
In Capniona fuit, tunc, cum tu perdite iudex
Lectus, & absurdis in litibus arbiter esses,
Idem accusator. Dic, quo uesane pudorem
Fert omnem tibi liuor edax? I perdite uinclis
Nexe feras post terga manus, da grata ruenti
Ante tuos tractus socios, spectacula uulgo,
Ite deis inimica cohors, tamen ite Sophistæ,
Obscuri prodite uiri, turba indigna lucis,
In nullo uersata die, prodite Sophistæ,
Lustrales aiumæ, sceleriſque piacula tanti.
Ite graues Monachi, nam quæ mora? conuolat omnis
Vt uideat populus. Vos nunc miracula rectè
Facti estis, parta est nunc primum gratia uobis,
Verum inter socios sapientum octauus, & alto
Tertius è cælo lapsus Cato, nomine gaudet

F. Iacob. de Hochstraten.

Dic

Diues Hogostrattus peregrina ab origine sumpto,
Vel Cato, uel Cacus dicetur, sed puto Cacum.
Ore exhalantem furiales dicere flammas,
Præstiterit, sanctis inimica incendia Musis,
Mandentem cruda, & libros, ipsosq; uorantem
Librorum autores. Vome perdite, & egere sumptos
Assueta plus parte cibos. Confundite succos
O medici, miscete herbas, absorbeat æger
Bis duo ueratri pondo. Nisi uiscera purget,
Vix equidem speres isti superesse triumpho,
Vt fremit, ut ferus est, ut se indignatur in istis
Spectari choreis, ferroque & fune ligari, Sæuitia
Excorni iam fronte minax. Da cornua fronti, Hochstra.
Da digitis ungues, ue cordem Iuppiter arma,
Vt quantum est iræ, tantum sit roboris, ibit
Sæuior excitis Bemorum è montibus ursis,
Tigrideque hyrcana, si quando amiserit absens
Imbelles catulos, Pœnos superare leones,
Qui possit furor est, Afroque ferocior Angue,
Et morsu petere, & iaculari è fauce uenenum,
Dic aliquid sacra de relligione deoq;,
Dic hospes magna de re, clamabit ad ignem, Hoch. ad
Et subitò damnare uolet, si scripseris, idem, ignem.
Et te scribentem, & scriptos abolere libellos
Igne uolet, poscet flammas, clamabit: ad ignem,
Si uerum est, ignem, si falsum scribitur, ignem.
Si iustum est, ignem: si iniustum, quod facis ignem,
Igneus est totus, uorat ignem, uescitur igni.

Igne

Igneus est pulmo, spiratq; è gutture flammam.
Igne iecur, stomachus calet igne, ipse omnia adurit.
Quod loquitur flāma est, flāma est, q; scribit ad ignē
Semper in ore gerit, prima hæc atq; ultima uox est.
Igneus est nasus, duræ sunt lumina frontis
Ignea, candenti cor è carbone coactum est.
Ipse etiam in uinclis ægrè se continet, ignem
Quo minus exclamet, uolet hunc ardere triūphum.
Se medium quoties quicquā audit, clamat ad ignem.
Et quoties legit, atq; aliquos hoc perdidit igne.
Hanc bis sex iuuenes ferratis cogere uinclis
Non potuere feram, solo à Capnione ligari
Sustinuit, quanquā sæpe ingeminaret ad ignem.
Euomeretq; ignem. Non se priore tuetur
Igne triceps Lycio metuenda Chymæra colono.
Nō ita quod Cacus, nō quod spuit Aetna timēdū est,
Appetiturq; metu Typhoëa flamma minori,
Quo se, quo mundum Phaëton pene usserat igne.
Et quo Troia perit, minor est. Nec uincitur illo
Colchides, Æmonium quē flant in Iasona Tauri,
Aut quo se Eumenides, uel quo se Cerberus armat.
Scilicet hoc uno nihil est uiolentius igne,
Si successus alat, si se fortuna furori
Misceat, & quantū est iræ, uis tanta sequatur.
Dij te agitent Ortuine nefas, ut tu in capite isto
Virus habes, urisque oculis, ut tu omnia uisu
Consceleras. Naso uates quem carmine pingit,
Inuidiæ uultus, non multum abludit ab illo.

Ne mihi dic studium, ne dic mihi pessime uitam
Neue inconcinnos mores, uerissimus index
Omnibus est uultus, qui te docet esse malignum,
Esse leuem, semperq; malum, semperq; paratum
Officere. Vt taceas, quid iam septem egerit annis
Forsitan haud dicam, dicam haud, at uerius omnū
Conijciam uero, te cuncta audere, nihilq;
Posse negas? at te produnt tua carmina, sed cur
Crimina non potius? Neq; enim uideoq; legoque
Putidius quicquam, totum insta uersibus utrem,
Insta ambas buccas, ut te uno carmine uincat
Buschius, aut aliquis Musarum mactus alumnus,
Isq; tui similes, si quid certaueris, uno
Mille die uersus faceret. Tu te esse poëtam
In populo iactas? quia quo te insania ducit,
Huc potes emuncto pituitam mittere naso.
Carmen ait scribo, dicam indoctissime carmen,
Quod pecus Arcadiæ, pecora inter inertia rudit?
Et quod cantat Epops, & quod feralis ab alto
Nunciat Ascalaphus, tibi non rudiore Minerua
In Sicula Polyphemus aqua contendere posset.
Quæ cū ita sint, cur tu Capnionem inuadere mauis,
Quam furere ista domi, & tecum insanire seorsum?
An potis es furere hunc intra cōclaue furorem?
Non sum ait, exerce miseris latratibus ergo
Et linguam & dentes, & quæ tibi plūbea uena est,
Aude iterum, cerite nefas, fure, corripe, morde,
At si quem punire statim pia numina uellent,

Cum

Cum tabula, capsisq; tuis, pluteoque, librisq;
Ambustum facerent, collapso desuper igni,
Aspice, ut intorquet uultum, oculosque minaces,
Improbus, & quærit furiali offendere circum
Intuitu. Quòd si saluos nos esse uolemus,
Lictor ades, frontemque liga, ne fascinet omnes,
Inuitus saltat concentum Ortuinus ad istum,
Sed gratum est unum hoc, socioque Tungarus illi
Agmine contigerit, contra Capnionis honorem
Præuia quòd tulerat magno uexilla tumultu,
Et duce Hogostratto sæuiebat in ordine primus,
Ortuino perflante tubam, doctoque sonoro
Ære ciere uiros, Martemque accendere cantu.
Ausus hic in Capniona libros conscribere, passim
Ædidit in famam, relegique á Cæsare iussit.
Ocia Cæsar habet, uacet his ut inepte libellis?
Vlterius tamen insanis, flammamque minaris.
Errat enim, exclamas, Capnion, iterumq; ais, errat.
Hoc abs te dici, capitale est Tungare, cum te
Tota errare uia, cuncti uideamus, at illud
Propositum est, ut fama operis te proferat huius,
Atq; isti certare uiro te, utcunq; feratur,
Egregium ducis, tanti facis improbe famam,
Artibus ut prauis, fœdo ut certamine quæras?
Forte parum fuit hoc, quod adhuc falsarius audet
Deprauare libros, sanosq; inuertere sensus,
Vnde alicui possit Capnion errasse uideri,
Mallem ego perpetuæ ciues obliuia famæ,

Quam

Quàm sic esse super, quàm sic mihi quærere nomen,
At quia signa tulit, quia primus atrocia sumpsit
Arma, tulit precium iam nunc certaminis ingens
Tungarus, & gaudet saltem à Capnione notari,
Qui te pestiferis iaculis petiere, tuamq;
Non extinguibili famam liuore secantes,
Mortem affectarunt, his tu sanctissime uitam
Ingenij largiris ope? his tu tanta refundes
Præmia, ut his moueas æternos nomen in annos?
Poscit enim quocunq; modo immortalis haberi
Tungarus, & scelere hoc, quia non uirtute meretur,
Accipit, inq; tuis fert poni utcunque libellis.
At tacitus dolor est, quod sanctis moribus illud
Nõ potius capiat, quodq; haud facit, haudq; laborat,
Vellet habere tamen. Vis magnum Tungare nomen?
Vis memores nos esse tui, uis sanctus haberi?
Nanq; ita uelle scio, atq; istis hoc moribus ambis?
Quin bibis helleborũ, et quib. hic furor exeat herbis
Cum quateres dextra tædã in Capniona perunctam,
Nocte ferunt media patriam tibi uocè minanti,
Iratæ similem, similem ulciscíq; uolenti.
His uisam monitis. Quo tu, in quem turbine præceps
Quo Catilina ruis? quo te furor impius urget?
Qua pice, sulphure quo, cladem minitaris iniquam,
Arsuras succincte faces? tu ne alta superbæ
Teutoniæ ornamenta paras consumere flammis,
Pernicies patriæ? nescis heu perdite, nescis
Quem tu hoc igne petas. Sed nec tibi cœpta uetãtis

Digressio ad Capni.

Consilium matris, neq; notus profuit error.
Insanire tibi libuit, libuitq; perire
His furijs, istoq; odio, quod te secat intus,
Nec si te affligas, aut si te ruperis intra
Viscera, perficies, quo te minus omnibus annis
Omnis posteritas odio condemnet acerbo,
Execrentq; tuum uenientia secula nomen,
Summum ob flagitium, & Magni Capnionis amore,
Quem petis inuidia, de quo spolia ista reportas,
I nunc, aude iterum diuinum incessere uatem.
Aude acri certare uiro, & uirtute potenteis
Insectari odijs, aude insulsissime scriptis
Mumeam inuicta uirtutem excindere fama.
Quo studio, quaue arte miser, qua ui genioq;
Scribis, ut istud opus uenturo tempore quenquam
Qui legat esse putes, & olentes stercora libros?
Dijs miser iratis, & parca nata sinistra,
Quos cadis in laqueos? ex quo tibi gloria coepta
Sperata est, hinc poena redit. Phlegetonte sub imo
Nullius aperta legit crudelius ilia uultur.
Intolerabilior nulla est rota, nullaq; peius
Tantaliam mouet unda sitim, leuiusq; feruntur
Horrida Sysiphias saxa exercentia uires, (rodit,
Quàm poena est, quanq; hæc, quæ te intus & in cute
Conscia mens scelerũ, cruciatq; ac uiscera mandit.
Dissimulare tamen uis, & nil tale uideri,
Quæ tibi præcipua est uersutia, nataq; tecum,
Contra quàm facis, & quàm tu es, cõponere uultũ,

Ob-

Obstipo capite, & panda ceruice, oculisq;
In terram fixis, sanctos præmittere mores.
At qui te norunt, morosum difficilemq;
Impurumq; uocant, simulatoremq; peritum,
Et nugatorem, tumidumq; atq; oris amari.
Idq; palam sensit Capnion, ultusq; repente
Has tibi compegit manicas, hæc uincula capto
Intudit, imq; suo iubet apparere triumpho.
I miser, ut spectere miser. Verum esse laborat,
Vinctus Apella miser tecum, lateriq; propinquum
Se conferre tuo. Sinis hunc tecum ire? potesq;
Huic par esse loco? possum inquit. Nam dedit illi
Quosdã olim monitus, quiddã hoc didicisse magistro
Tungarus ipse refert, tuncq; est armatus ab illo,
Cum pugnam aduersus magnũ Capniona pararet.
Dux fuit Arnoldus cœptorũ, hic prodidit hostem,
Non equidem melior, non es tu Tungare purus
Hoc magis ingenio. Sed me prius omnia perdant
Numina, quam patiar nebulonem hunc ire superno
Vertice, & euictis sublimem insistere plantis,
Et cælum spectare oculis, istoq; triumpho
Esse homini similem. Fure nunc canis improbe, toruo
Nunc fera dente seca, sumpto nunc percute cornu.
Et Sueuum, & iuuenes pro Sueuo tela ferenteis,
Huc mihi (nãq; meũ est hũc instaurare triumphum)
Carnifices clamate duos, uos omnibus armis,
Vos cruce, uos laqueis, & adacto funibus unco,
Hanc mihi carnifices operam date, ponite primum,

Vt facie in terram uersa, genibusque supinis
Nec cælum aspiciat, nec nos contaminet istis
Attactos oculis, quoniamq; impura locutus
Mordeat ore solum, & quiddam de puluere mandat.
Quæ mora carnifices, quin uos huic ore retorto
Excipitis linguam, magnorum prima malorum
Semina, ne medio possit non fanda triumpho
Dicere? quin nasum atq; ambas auellitis aures?
Inseritisq; uncum pedibus? trahitisq; supino
Poplite, uerrentem facieq; et pectore terram?
Proderit excussos etiam disperdere denteis,
Ne maneat labris quo quenquã lædat in istis.
Interea quanquam trahitur, post terga redactis
In ferrum manibus, digitos truncate supremis
Vnguibus. Immane est (dicit mihi Tungarus) istud,
Immane est. At uos tormento immanius omni
Ausi estis facinus, læto committe triumpho
Hunc saltem integrũ, ne mœstũ hæc gaudia monstrũ
Turbet. At hic nemo est, cui sit miserabile, quicquid
Contigerit uobis. Vestri miseratio nullos
Hic mouet affectus, rident pueriq; uiriq;,
Et faciles doluisse nurus, facilesque puellæ,
Vnà omnes rident, plausuq; fauente sequuntur.
Hunc Iudam appensis pedibus, tractumq; supino
Occipiti, & scabros reuomentẽ in sanguine denteis,
Confossumq; unco, lingua nasoq; carentem,
Atq; exarmatum digitis, auresque uidentem
Amè suas nunquam uisas. Num perfide malles

Non

Non fugisse necem, meritam pro crimine pœnam,
Quam nunc esse miser? Sed quæ tibi ferrea mens est,
Lætaris uidisse prius, te semina dante,
Te causamq; malis Capnionа quiete carentem,
Turbatumq; senem, lachrymasq; in plebe refusas,
Pro condemnato, punitosque igne libellos,
At tu, cui gratum est omnem turbare quietem,
Et miscere uiros, paciq; inducere bellum,
Vt Christi discorde pecus pastore uagetur,
Nam neq; tu Christum (simules quanquã oĩa) seruas.
Quodq; aliquid tulerit Capnion, nunc aspice eodem
Lumine uictorem, teq; hoc in puluere tractum,
Pectinibus patulis, aptoq; ad uerbera tergo,
Conscindi flagris, & iniquo fuste domari.
Qua cum te inuidia misere cruciaueris, intra
Ilia tabescas, & lenta morte supremam
Exhales animam, multis exempla daturam.
Huc agit ingenti celebris Moguntia plausu Mogũtia
Vrbis monstra suæ, bene de Capnione mereri
Non nunc incipiens, commotaq; eijcit ira
Te Bertrame odio dignum caput, omnia nisum,
Omnia conatum, si quid conuellere posses
De Capnione bono. Sed dic, cur pessime tandem
Iam cupis in studijs quicquam elaborasse uideri,
Cum uita fuerit studiorum nulla priori
Cura, nec ullus amor? Quid uita fecit in omni?
Christi pauit oues. Imò hunc crapulosa uorago
Pauit aqualiculum, quenq; hanc uix portat in urbẽ,

Cura ſagnandi ſemper fuit unica uentris,
Cernite glutones, comedones, cernite uentres,
Veſtrũ hic opprobriũ. Bene paſtũ hunc et bene potũ
His ego coniunxi ſocijs, palearia pendent
Pectus ad extremum, collum caput urget obeſum,
Vix aliquid loquitur, loquitur tamen, omnia noſtræ
Partis in exitium, quod dij prius omen in ipſum
Conuertant, recidant q̃; ſuæ dira omnia linguæ,
Quo te uenter agis? Quin hunc odijq̃; malorumq̃;
Adiungis ſocium? Mitte huc te uipera, ferro
Inde manus, dignumq̃; puta ſi fune ligeris,
Siue catenatus Magni Capnionis ad urbem
Tractus eas, neq; enim peiori canduit alter
Inuidia, nulli rupit magis iſta quietem
Cura, atq; iſte dolor. Ita nunc Decimator in illa
Sublimis cathedra, diris clamoribus aureis
Nunc rudis infeſta populi, atq; in ſimplice turba
De Capnione refer, uigila, cruciare, diurnis
Arde ſupplicijs, nocturnum abrumpe ſoporem.
Ilia duc, tacitos gemitu teſtare dolores.
Palle hac inuidia, & quoniam clamare uetaris,
(Quæ fuit una tui liuoris, & una nocendi
Inſita uis animo) lento conſumere tabo,
Ad Capnionem nihil clamor tuus, & tua præceps
Pertinet ira nihil, liuor nihil, & nihil huius
Palloris rabies. Sed quo te Mayre ponam
Petre loco? quoue ore tuos pro tempore, req;
Exponam mores? Tu qua ſe Mogus in urbem

Fert

Fert mediam, partim de Francis nomen habentem,
Partim à Saxonico dicentem mœnia bello,
Ingens iracunde malum, summumq; citasti
In populo furiose nefas, tantum infima plebes,
Et uulgus muliebre animi dedit, auxit auaræ
Impetus inuidiæ: qua nunc uanissime rumpes
Materia iecur hoc, quoue exercebis amaram
Ex odio linguam? quo nunc sermone placebis
Huic populo? quē dente petes? quemue ore maligno?
Quandoquidem licet in Capnione nihil, nihil ista
Amplius in causa. Quantum est potuisse furentis
Iudicio uulgi, stolidæq; placere cohorti.
At si quando tibi ridet, leuiora locuto,
Aut si quando oculos fanti lugubria tergit
E populo quisquam, uel de mulieribus istis,
Tum sublime caput, tumefactaq; nubibus effers
Labra tenus, plaudisq; manu, molliq; triumphas
Continuò gestu, tunc te hæc suggesta, tuumq;
Vix capit hoc regnum, tunc tu omnia uoce lacessis,
Omniaq; exuperas, & inanem per cutis auram.
Tunc tu uictor ouas, & tanquā è cæde recenti
Poscis serta redux, lauriq; è fronde coronam,
Hosque inter plausus, & in hac nequissima pompa
Vix humilis dici Galilæi è plebe Magistri
Discipulus, solumq; refers à nomine Christum,
Solum à ueste refres, cuius immiserit hosti,
Vt doceas, tunc terga dabis, placidamq; quietem
Desidiose petes, atq; hæc suggesta relinques.

His titulis atq; hoc prætextu in plebe notari,
Non magni facies, ultro Christumq; negabis,
Vtcunq; hæc aliquis tamen æstimat, omnia uincit,
Quæ tua præcipuè est, puræ simulatio mentis.
Præterea nemo est ex uulgo indoctior isto,
Audax nemo magis, sed enim qui peßimus omni
Creditus è numero est, tãtum hoc sibi censet iniquũ,
Quod tecũ ingreditur, quodq; hoc seruile triũpho
Tecum ferre malum, uel eandem cogitur iram,
Francia magnanimæ semper fœcunda iuuentæ,
Nobilitate uirûm nullis regionibus impar,
Et nulla inferior, dic, quid magis antè pudendum
Produxti hac sobole? te scilicet ista cicatrix
Dedecet, ista uomex, tu perdite nominis huius,
Atq; huius labes populi, tu stigma pudorq;
Inuentus fueris? neq; te prius omnia pessum
Numina, sic meritum dederint, sed iam isto triũpho
Vna mora est. I dira lues, i peßima mundi
Progenies, multis pudor & scelus, at decor uni,
Viuere quem nolint omnes, quem uiuere solus
Hactenus haud nolit Capnion, & gaudeat unus
Isto funè trahi, atq; istas mordere catenas.
Dicat Io, si se nouit Germania, dicat,
Quoq; uidet propius festos accedere currus,
Hoc magis ingeminet, bis Io, bis Ioq; sonando,
At quisquis clamabit Io mecum, hoc aget unum
Pullatumq; gregem captorum, & inertia fratrum
Agmina missa libens faciat, nec spectet euntes

Vltra ipsosq; duces, & adhuc sine nomine uulgus,
Numinaq; & spolia, & cessantia deserat arma,
Fercula nulla oculis obeat, nec cogitet ultra,
Sint ea grata licet, quæcunq; occumbere iussi,
Amisere hostes, solo in Capnione moretur,
Hunc oculis, hunc mente uirum gerat, illius istum
Det celebreq; diem fortunæ, & casibus æquis,
Vemũ est ad currus, ita nos fœdissima frustra
Detinuere diu turbæ spectacula inanis.

Dicat Io, si se nouit Germania, dicat.
Hæc armenta, atq; hos auratos cornua tauros,
Corpora lecta iubet sacras sibi uictor ad aras,
Voti compos agi. Superis ea uictima saluo
Pro Capnione cadit, sequitur factura ruenti
Lætitiam populo Musis gratissima turba.
Omnibus unicolor tunica est, & candida uestis
Serta gerunt capite, & nexas fronde coronas
Populea, tenduntq; manu frondentia palmæ
Victricis folia, sparsumq; in termite fructum,
Pars cythara, pars uoce canunt, pars cornua rauco
Implent curua sono, perflant tibicine mixto,
Ille tubas, alius triplici tortum ordine circum,
Sunt, qui fila lyræ, sunt, qui testudinis amplæ
Transadigunt neruos digitis, chordasq; pererrant,
Barbatos huic dulces, huic dat sua tibia ludos.
Huic pulsatur ebur, sonat huic cita pectine buxus,
Ferratos ferit hic crates, ille ordine iunctos
Folle premit calamos, tresq; elicit impete uoces

Diuersas uno, sunt & Corybantia matris
Æra Phrygis, dantq; ingentem percussa boatum
Tergora tensa boum, feriuntur sidera cantu.
Accipiunt montes, acceptaq; carmina reddunt,
Percussæ reboant ualles, syluæq; uicissim
Exaudita canunt. Mirantur numina ruris,
Faunique, Dryopesque, & quæ sua flumina seruant,
Quæq; deæ fontes, & florea prata nemusque,
Et uirides curant saltus, Capniona canentis,
Obseruant numeros, repetuntq; ea gaudia secum,
Interea lecti iuuenes, pueriq; suaui
Concentu mulcent aures, & grande coacta
Harmonia modulantur Epos, concinnaq; mixtis
Addunt uerba modis, Capnionis habentia laudes.
Hic uir, hic est ciues, quem uos paulò ante petitum,
Mille dolis, mille insidijs, atq; arte maligna,
Promissa doluistis ope, hæc uenerabilis illa est,
Canicies sancti capitis, cui debet honorem,
Et cui semper habet plenis Germania uotis
Virtute illustrata uiri. Hic est ille ferorum
Intrepidus domitor monstrorum, inuictaq; mastix,
Qui temere fratres ausos, temereque Sophistas
Laudis opus plenum, & memorandũ in secula, factũ
Contudit, & multa trepidos formidine sternens
Intactam asseruit ab iniquo iudice famam,
Qui debellatis insanda parantibus omni
Exuit opprobria sese, ementitaque liquit
Post tergum scelera, atq; è suspicione remersit,

Quam

Quam facti tenuere rudes, hæc gloria ciues,
Hæc illa inuidia est, multorum exercita nisu,
Atq; uno defenso animo, dijs gratia nunquam,
Non scelera ulcisci, uetitosque uolentibus ausus.
Dicat Io, si se nouit Germania, dicat.
Inque inculpatos referat clarissima factos
Facta uiri, memorique omnes æternet in annos
Decreto titulisque, & quos decernit honores
Victori populorum, & qui se in sanguine mersit
Hostili, quique armorum præcelluit usu.
In magnum Capniona ferat, qui sanguine nullo,
Nulla hominum strage, & nullo felicia ferro
Prælia confecit, quibus haud sua numina tantum
Extulit, atq; à se feralem protulit iram
Liuentis populi, uerum communia multis
Verbera sustinuit, clypeoque excepit acerbam
Inuidiæ plagam, & pro multis irruit unus
Millia tot fratrum, rapturamque omnia flammam
Præcipiti extinxit saltu, quæque impia non sunt,
Scribendi proprio reparauit iura periclo.
Neue unis liceat monachis uniusúe Sophistis
Libera uerba loqui, illius uirtute peractum est,
Vos, quibus inuidia est, Lethæo occludite somno
Liuentes oculos, sinite immortale triumphet,
Qui decus immortale meret, uiuitque, uolatque,
Dotibus ingenij, quem nos conferre superbo
Possemus Latio, cui non mutabilis aufert
Annorum series, quicquid sua facta dederunt.

Hic

Hic uir, hic est ciues, qui non torporis inertè
Segnitie secordis agens, quæsiuit honores,
Verum acri studio atq; opera, multoq; labore,
Qui grauibus rebus quæsitus Cæsaris egit
Et patris & nati causas, qui plurima fecit,
Plurima qui docuit, non uentri obnoxius unquam,
Et nunquam indulgens, quiq; ut nos uera doceret,
Quæ non dura tulit? cui non se inferre periclo
Est ausus? qui se non temere Ennius olim
Adscripsit tria corda sibi, nos quatuor isti
Iure bono dabimus, scribenti, apteq; loquenti,
Quatuor in linguis, patria, Græcaq; Latinaq;,
Et tandem Hebræa. Quare infantissima fratrum
Plebs sileat, quis enim melius multa ardua scribet,
Rectius & dicet, quàm qui multa ardua nouit?
Hic uir, hic est ciues, qui quàm quis legerit alter,
Plura dedit calamo, qui primus Comica scripsit,
Germanisq; suis scœnam patefecit, & amplam
Ostendit caueam, uetuitq; silere theatrum.
Plurima qui numero, qui plurima lege soluta
Condidit, inuenit qui multa incognita nobis,
Optimus interpres, qui certè pluribus annis
Ante duces summos, in Cæsareoq; senatu
Ius dixit, quàm quis studuisse putabitur alter,
Qui quo non uerum argueret, uerumq; doceret,
Nullius expauit uires, iramq;, minasque.
Simpliciter semper, sine pompa semper inani,
Citra omnem inuidiam, nisi quam sua lucida uirtus,

Vt fit, apud sciolos peperit sibi, docticulosque.
Hic uir, hic est ciues, cui si Germania posset
Ipsa loqui, tota in uocem consurgeret unam:
Macte graui uirtute senex, tu moribus istis
Atq; isto ingenio paris immortalia laudi
Ornamenta meæ, per te, ne barbara dicar,
Aut rudis, effectum est. Te nunc ego grata saluto,
Te grata amplector, te grata remunero, pro tot
In patriam meritis. Quicquid debetur honoris,
Qui seruat bello, uel qui me liberat armis,
Accipe, præterea iubeo meminisse nepotes,
Et nomen celebrare tuum. Salue inclyte uindex,
Victor aue, dilecte deo, dilecte parenti,
Felix prole tua, felix tu Phorca superbo
Semine, felices etiam materq; paterq;,
Qui mihi, qui uobis talem genuistis alumnum.
Diceret hæc certè, caneret Germania certè.
At nos interea, quando hoc ita tempora poscunt,
Grata triumphanti canimus. Ne dicite ciues
Quenquam istas laudes merito maiore tulisse.
Dicat Io, si se nouit Germania, dicat.
At iam se nouit, sensit se, sensit ad unguem,
Es succlamat Io, miro lætissima plausu.
Dicite Io ciues, & Io bis dicite ciues.
Visite honore deos, onerate altaria donis,
Et uotas offerte preces, date munera grati
Pro conseruato Capnione. Idq; omnibus annis
Constet opus titulo, Neue obscurata uetustas

Exo

Eximat hoc famæ, titulo superaddite carmen,
Pro debellatis Capnioni dona Sophistis.
Hos inter cantus, hæc inter carmina, & inter
Plaudentis populi strepitum, pulcherrimus alto
Inuehitur curru Capnion, & lumina pascit
Spectantis turbæ, pulchras agit ipse quadrigas
Non tamen ex auro, solido non ex argento,
Quo uehitur, quo uictor ouat, qua mole triumphat,
Cedrinæ iunxere trabes, & uiuida buxi
Robora, iuniperique leues, & uimina Daphnes
At folium teretes hederæ complectitur axes,
Vestit idem radius, at curuatura supernæ
Cincta rotæ uiolis, & rore innexa marino
In totoque rosæ, in toto sunt lilia curru.
Pulegumque uirens, & odore gramina Minthes,
Et myrtus Veneri, & Phœbo nascens hyacinthus
Saliuaque & nullis obnoxia ruta uenenis.
Et saliunca recens, & amaracus additur istis,
Aureus abrothani flos, hyssopique uirentis
Germen, & ex omni quicquid congessimus horto,
Frondentis, uel odoriferi. Stat florida sedes,
Floridior sedet ipse super, cui prima uenustas
Et primus decor est, albentia tempora canis,
Quæ mixtim nexæ lauroque hederaque coronæ
Circundant, capitique instat uictoria duplex,
Dextra Oculare manus speculum tenet. Illius ergô
Nomen enim libri est, fratres in bella coacti,
Atq; Vbiæ schola gentis erat, rapuit uafer ansam

Verpus ab hoc, monachisq; dedit, quod turbine moto
Imbelles acuere iras, hinc illa repente
In Capnione uiri conflata est factio, liuor
Hinc uagus emersit, præter qui Teutonas urbes,
Et doctam Italiam, & fuscos impleret Iberos,
Pannonas, & populos, quos Rhœticus alluit Ister,
Quotq; secat Rhodanus, quot inundat Sequana gẽtes
Quæq; Calydonios penetrauit turba Britannos,
Hic liber est, atq; hoc congesti insigne duelli,
Notum laude sua, quod cum phanaticus igni
Ferret Hogostrattus, Capnion uictrice Minerua
Eripuit, tutumq; tenet, semperque tenebit
Ingenij monimenta sui, monimenta pericli.
Læua gerit teretem uictrici ex arbore ramum,
Cæsareas aquilas thorax uictricia signa
Pictis habet, uirides circum est effusa quadrigas
Iureperita cohors, uatumque exercitus omnis,
Ingenioque omnes clari, studioque frequente
Laudati, quosque effecit doctrina celebreis,
Quiue aliquo meruere coli pacto. Omnibus istis
Mens erat in flammam, supremaque funera uicto
Cum Capnione trahi, & medio in certamine si qua
Forte laborasset, prompti concurrere, prompti
Auxilio succedere erant, summisque periclis
Felices animas, dulcemque exponere uitam.
Centum Italos uideo, centum hac ex gente poëtas,
Et totidem iuris doctos, sed nomina nondum
Omnia nota mihi, uideo à Capnione notari

Quenq; suo titulo uideo impartire salutem.
Omnibus his non uilis honos, omnesque uirenti
Fronde coronat helyx. Da nunc, da Phorca triũpho,
Da pompæq; locum. Nunc tu, communiter omnis
Nunc læta, atq; hilari percussa ad sidera uoce.
Parasceue Dicat Io, si se nouit Germania, dicat.
Hoc omnes uincunt, hoc omnes iure triumphant,
Moribus atq; animis istis, uirtutibus istis.
Quiq; sequestratis uitijs, & fraude remota
Vixerunt, quiq; immunes scelerumq; malorumque
Exegere dies, studiosaque pectora ueri,
Innocuique omnes, & quorum libera corda
Pro Christo fuerant, & relligione parentum,
Et certare uiris, & ferre extrema parati,
Quique odio fratres eneruatosque Sophistas,
Ob scelus, aut certè ob cuncta ignorantia corda
Sectati fuerant, iterumque iterumque triumphent.
Et titulo Capnionis ouent, sua gloria dignis
Euenat, sed nunc Capnioni ex omnibus uni
Dicit Io, quia se nouit Germania, dicit.

FINIS Triumphi.

AVTOR THEOLOGISTIS.

LAqueum sumite Theologistæ. Viginti amplius sumus in infamiam ac perniciem uestram coniurati. Debetur hoc Capnionis innocentiæ, debetur uestro sceleri, debetur Reipub. literariæ. Imò bono hoc

quo

quodam fit Christianæ religionis fato, cui uos obscurata luce, pudẽdas inuexistis tenebras, quibus nos expulsis ac effugatis, Christianum dijs atq; hominibus plaudentibus illustrabimus orbem. Renatus est Hieronymus. Nouum Testamentum lucem induit. Multa ex Hebræo, multa ex Græcis eruuntur. Ardet opus. Interea uos quid agitis, cur quis Theologos uos uocet? Nempe hoc, ut agnoscem hæc Capnionem, literis ac temporum nostrorum gloriæ adimatis. Proinde laqueum sumite. Multorum ore uobis canitur, quorũ non idcirco sum ego optimus, quia primus, sed idcirco primus, quia minimè patiens moræ. Vos igitur moneo coniurati, adeste, incumbite, ruptus carcer est, iacta alea, regredi non licet, obscuris uiris laqueũ præbui, nos uicissim herbam sumemus.

IN LAVDEM REVERENDISSIMI ALBERTI ARCHEpiscopi Moguntini, Vlrichi de Hut. Eq. Ger. Panegyricus.

AD CLARISSIMVM EQVITEM EXteluolsum de Lapide Sueuum, Magistrum Curiæ, et ciuitatis Moguntinæ Præfectum, Vlrichi de Hutten Eq. Ger. in Panegyricum sequentem præfatio.

NE me cunctatorem uoces diutius, neue promissorum putes immemorem, Eyteluolfe ornatißime, exhibeo Panegyricum in exceptionē Moguntinam illustriß. Principis, ac Archepiscopi Alberti, scriptum á me his diebus, imò effusum. Scis .n. quantillo temporis spatio, qua fortuna, quo rerū mearum statu compositum libellum in lucem ædam. Et ut scis, ita non potes ignorare, in quod me discrimen famæ egeris. Δύσζηλοι γάρτ' εἰμεν ἐωὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων. Quòd si quid unquam negare tibi potuissem, hoc negassem profecto. Et si per te licuisset, quanta me dij boni infamia liberassem? Neq; uero tā stultus sum, ut mihi exemplar Albini cuiusdam, apud lectores præcipitatæ æditionis ueniam deprecer, quē admodum ille arroganter tractatæ græcitatis. Abeāt, exeant, & indicio suo pereant insaceti ioci, inargutæ nugæ, inamœna & inepta poëmata. Malo, dum tibi obsequar, errasse deprehendi, quàm non obsecutus ingratitudinis uitio notari. Debetur hoc pulcherrimis tuis in me meritis, debetur absolutißimis Alberti uirtutibus, tanto omnium per Germaniam principū optimi maximiq;, quanto ego sum omnium ibidem poëtarum peßimus. Quòd si erratum á me est, hoc primum consolabitur, quod non potest non multos in cō similem errorem adducere Alberti bonitas. Ὡς ὅδε πᾶσι φίλος καὶ τιμῖος ἐσίν. Deinde quòd te monitore ædidi, cuius amor ac reuerentia apud uniuersos politioris literaturæ assertores tanti sunt, ut uel gra

uiori

tiori delicto ueniam ac gratiam pepererint. Modò in hoc principe ita sunt omnia summa, ut nõ opus sit legentium fidem prece aut precio captare, nec ego unquam dixero hoc, quod ille scriptum reliquit, locutũ se de Cyro, non quòd talis fuerit, sed quòd talis esse debuerit. Adulandi uero studium adeò semper à moribus meis abfuit, ut nihil unquam remotius. Id quod tu scis, & annos iã plus quinq; diuersa mea fortuna expertus es. Quid igitur hæc ædi oportuit? an ut hunc quem laudo, ad uirtutem capessendam inuitarem? minimè uero, sed ut ingenia æqualium ad scribendũ excitarem, & excitabo sanè, nam quotusquisq; erit, quẽ uisis his non iuuabit statim scribere meliora? Et sunt fortasse, qui poterunt, multi, me autem sic uinci non pigebit. Porrò Albertus non est is, cui dici conueniat illud, quod huic Homerico dicitur: Οὐ χρὴ τὸν νύχιον ἔυδειν βουληφόρον ἄνδρα Ω λαοὶ τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μεμήλε. Ipse ex semet talis est, qualis esse debet, & quales esse, paucis adhuc contigit. Adeò omnes sunt in illo naturæ dotes eximiæ, ornamenta fortunæ cumulatissima. Sed ut sit Panegyrico locus, non dicã de illo plura, ad te reuertar Eyteluolfe, quem ego reor non sine magna deorũ immortaliũ benignitate coniunctũ huic principi, ὡς ἀεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον. Possum supplicare dijs hoc de te, qd ille de suo Nestore. Vtinã tui similes multos haberet Germania, iam.n. barbari esse desineremus, nec nostri nos puderet, dicam .n. inuiti

& tamen dicere iubet meus dolor, multorum detrimentum. Vides qui in nostrum ordinem peßimi mores inuaserint, ut qui hos contemplatus fuerit, rectius Centauros, quàm equites Germanos dixerit, quisquis enim nunc studia literarum bonæ indolis adolescens sequitur, eum illi statim tanquam exortem omnis dignitatis, ab imaginibus maiorum suorum degenerem, ac sui dißimilem, despicatui habent, eum rident, eum subsannāt, ei medium digitum ostendunt, quo factum est, ut iam multi, qui procul dubio clarißimi euasuri erant, retrò pedem contulerint, ac uulgari opinioni adhæserint. Possem nominare aliquos, & tu uidisti innumerabiles. Illos uero Centauros quotidie audimus nobis obstrepentes, & ut sunt νήπιοι ἀγροιῶται ἐφημέρια φρονέοντες, se solos putant, in quos reponi debeat omnis patriæ spes ac fiducia, per se unos omnia domi forisque gerenda esse autumant, se solos nobiles existimant, cœci mediusfidius obtusi, & Cimmerijs tenebris hebetiores. A quorum moribus tu intelligis, quantum abhorreat meus gentilis Frobinus Huttenus, nam cum literas ignoret, ea qua multi iniuria à studijs olim distractus, ita tamen de literis ac literatis omnibus sentit ac loquitur, ut in studijs literarū coaluisse credas. Ea est erga omnes humanitate, ea in iuuando me benignitate ac munificentia perspectus est: & quando non uidisti hunc ingemiscentem, quoties in mearum calamitatum historiam aliquam incidit? Quando non reprehendit illorum stultitiam ac su-

per-

perbiam, qui seipsos ignorant, & bonos contẽnunt? Nanq; ut nosti, οὐ νῶς ἐνὶ κεντεύροισιν. Tu uero unus è paucis quanta felicitate coniunxisti hæc, negocia rei militaris, & ocium studij literarum? quæ te historiæ latem? quas fabulas ignoras? quæ carmina non legisti? Prudentia uera & rerum gerendarum peritia in te notior est, quàm ut à me prodi debeat. Talem te apud Inuictissimum Cæsarem Maximilianum præstitisti, tali te usus est Ioachimus Marchio, talis apud hunc Albertum maxima omnium nostrum utilitate, & Reipub. Moguntinæ commodo haberis. Indicãt item opes te tuæ, manifestat splendor, dignitas ac potentia, quæ tu omnia onus ac impedimentum ocij tui appellare soles mira et inaudita modestia. In quo enim rectius hæc cumulata uidentur, quàm in te? Ἐσθλῷ γὰρ ἀνδρί τ' ἐσθλὰ κῆδ' ἐπίσταται θεός. Quid dicam, quàm te inuitus deseruerit alter frater, quàm cupidus alter abstraxerit? Deinde quàm memorabile uerbum, & omni posteritate dignum retorsisti in illum Marchum equitem, qui cum te pro concione insolentius obiurgasset, dicens: non eam esse ætatem, ut possis iam tanta meminisse, respondisti: At tu ô senex tantum ea in memoria habes, quæ annis quadraginta, aut paulò pluribus acta sunt, ego uero etiam ea scio, quæ duobus aut tribus retro millibus. Ibi te extemplo circumstantium fauor ac applausus excepit, illum sua cõfusio operuit. Laudo igitur te Eyteluolfe, ac nostro ordini gratulor, qui te, tanto uiro rusticitatis famam

exuit, es enim exemplum multis, & iam ita me animasti, ut nondum pœniteat eorum laborum, quos annis iam decem turbulẽtißimis fortunæ tempestatibus, per Germaniam simul ac Italiam, amore literarum exhausi, & parebo posthac libenter tuis monitis, meo etiam periculo. Quorsum enim non concedam ei, qui sic de me, sic de bonis omnibus meritus est? Sed ut meum de Panegyrico consilium planè intelligas, nihil unquam cupidius scripsi, nihil ardentiore zelo composui: uerum ab ædendi proposito absterrebant multa, metus in primis, ne non satisfactum tanti hominis, imò tanti numinis uirtutibus uideretur, ingenij mei paruitate, deinde aliorum periculum, quos sæpe uidi, cum famæ ac gloriæ studerent, in contemptum & infamiam deductos. Age uero lege nunc Panegyricum istum, quem toties nomino, dolendum uerecundiæ meæ spolium, et eo animo lege, quo scriptus á me est, non quo æditus, ac boni consule.

IN EXCEPTIONEM

MOGVNTINAM REVERENDISSIMI in Christo patris, illustrißimi Principis ac Domini, Domini Alberti, Moguntinensis, & Magdeburgēsis Ecclesiarū Archepiscopi, Sacri Ro. imperij Archicancellarij, Principis electoris, Primatis per Germaniam, Halberstadiensis administratoris, Marchionis Brandenburgensis, Stetinensis, Pomeraniæ, Caßubiorum, Sclauorumq; Ducis, Burgrauij Noriburgensis, et Rhugiæ Principis, Panegyricus Vlrichi de Hutten Eq. Ger.

HAnc pompā et plausus festis clamoribus istos
Vimq; triumphantis populi, lætosq; paratus
Ostensosq; tibi Princeps Alberte fauores,
Non ab re ferimus, nanq; ut te exciuit ab illa
Inuitum patria plenis Moguntia uotis,
Huc pacem, huc requiem secura excire putauit,
Venisti cupidis, & tanquam hinc omnia starent,
Fixa in te trepidæ fuit expectatio plebi.
Tunc quoq; cum uoto patrum inducente uocantum,
Nostra capessentem, & migrantem à sede paterna
Roma moraretur, mœsta timor anxius urbe
Destituit mentes, animosque abiecit, & intra
Spemq; metumq; fuit dubij sententia uulgi,
Seu tibi summa duci rerum commissa fuisset,

Consultum his terris, seu se importuna dedisset,
In medium ratio, trepidandum horrore supremo,
In te spes cupidis, in te fiducia solo
Omnibus alta stetit, posita est, ex teq; pependit
Ciuibus una salus, ut si tu hæc munera nolles,
Oblatumq; tibi dedignareris honorem,
Essent tristitiæ plena omnia, plena timoris.
Quos quoniam euentus melior fortuna redegit
Iucundam in faciem, tulimusq; optata fauentes,
Reddita corda sibi, percalsaq; pectora tandem
In uultus rediere suos, læta omnia pulso,
Omnia fida metu gaudent, quia mole pericli
Te sine nulla fuit gaudendi occasio, tantumq;
Huc tecum inuehitur lucis, quantum omnibus auferit
Hic tuus aduentus nebulæ, & caliginis atræ.
Longa mora est, quæ te tenuit, fastidia longa
Dum uenias, aluere tuos, succumbere postquam
Visus es his monitis, non es procedere uisus.
Et capere oblatum, fortunaq; obuius uti,
Præsentiq; frui. Fessi expectauimus omnes.
Quod te adigat tempus, sæpe intra spemq; timoreq;
Ambigui stetimus, ne quam non prospera causam
Sors ferat in medium, teq; hinc omnino reuellat.
Sic sperat, metuitq; simul iam filia coniunx
Desponsata uiro, nam quem semel hausit amorem,
Cunctari uetat, illa ægrè sua gaudia differt,
Incusatq; moras, quæcunq; hymenæa morantur,
Tempora longa uocat, ardet se iungere pacto.

Optatum cupit ire diem, noctemq; iugalem
Anticipat uotis, ubi uenerit hora fruendi,
Vt placitis satiata suis præsentia captet.
Tum uero ratio omnis abest, ita in omnia præceps
Fertur, & in cumulo dubitat, quæ prima sequatur,
Quæ capiat, quibus insistat, data copia turbat,
Et facit ambiguam, nos haud secus impetus urget,
Destituit ratio, perditq; oblata facultas.
Quid primum, quid præcipuè fiat, liceatq;,
Quod quis in obsequiũ ruat, aut quæ signa relinquæ
Lætitiæ insolitæ, quo gratificetur honore,
Iam certus, liberq; metu, optatisq; potitus.
Obuia turba tibi, portis se effundit apertis,
Tendit in occursum populus, sunt ordine nullo,
Lætitia dirimente modum, iuuenesque, senesque, Excepto
Ingeminatur Io, uacuas conscendit in auras Mogũti.
Clamor, ab impulsis resonat clangoribus æther.
Intuia facta uia est, qua tu te immitis, ademptum
Est plateis nomen, quid si non antè uetasses,
Hæc fieri candore tuo? pudet auribus hoc, quod
Virtutes meruere dari, uerum illa pudoris
Munimenta tui, nos effecere uerendo
Audere, & uetitos cupientius ædere plausus,
Tanta merebatur, quisquis feliciter olim
Bellum exegisset, domitisque ex hostibus urbi
Inuexisset opes peregrè, spoliisque superbis
Auxisset dominæ nummosa ærariа Romæ,
Siue rebellantes armis superasset Iberos.

Siue leues Celtas, aut sub iuga Marte secundo
Cantaber isset eques, pleno excipiente triumpho,
Decreuere patres tantis grata omnia gestis,
Magna damus, nisi tu nolis maiora daturi,
Iure pari, merito diuerso, non quasi belli
Intuleris motus, Venetumue retuderis hostem,
Gratamur reduci, sed quod te principe belli
Suspicio procul omnis abest, huc ocia tecum,
Huc pacemq; trahis, tutissima tempora abactis
Te ueniente malis subeunt, sperata solutis
Vita redit, tranquilla quies te præsule iniuit.
Spes sua cuiq; redit, tum si quis fleuerat antè,
It dolor, itq; timor, cessant curæq; metusque.
Lætitia certatur, eunt matresque uiriq;,
Vno hilares uoto præ te, manibusque supinis
Attollunt uultus, læto & clamore salutant
Te, patremq; uocant, saliuntq;, & carmina dicunt.
Vocibus aura fremit, dulci quatiturq; boatu.
Ornatæ nituere domus, portæq;, uiæq;
Congaudent dominis, speciosaq; pallia tectis
Dependent, quod Zeusis opus, quod pingat Apelles,
Texat Achæmenio locuples quod Persia fuso,
Quod struxisset Arachne, & quod discriminet unca
Pallas acu, quod eat Phrygijs certare tapetis.
Delicias oculis, ueterum argumenta laborum
Parietibus murisque locant, hæsere fenestris
Intextis aulæa notis, celebrata parentum
Facta reuiuiscunt, magnæq; ex ordine pugnæ.

Præ

Præterea festi insuetis fulgoribus ignes
Vrbe crepant, lucentq; faces, & lumine maius
Excipitur lumen, stellisq; abeuntibus instant
Solares radij, & Phœbeæ lampadis ignes
Obscuraturi, si quos adiere minores,
Igne suo minor est, quemcunq; ô maxime rerum
Virtutes tetigere tuæ, tu lumine lumen
Excipiendus ades, densoq; armata iuuentus
Stat diffusa globo, & turmæ panduntur equestres,
Ostenditq; tibi, dederit quas patria uires.
Quæq; sequantur opes, dic quis compelleret istum
Vi populum, qui nunc sumptis tibi se obtulit armis?
Quiq; ut tu regnes petit, extorquetq; precando?
Heu quanta ui regnat amor, discedite fastu,
Qui uultis captare fidem, petitisque timeri.
Vndiq; tutus amor, nunquam irrequieta tyrannis
Suspicione caret, odijsque obnoxia regnat.
Cernis, ut est templis alius nitor? omnia cultu
Festa nouo, quid tale rogo prior annus habebat?
Omnia magna quidem, uerum ad te parua, tuoq;
Æ qua minus decori, potes hos pulcherrime plausus,
Tam trepidè amplecti? teq; his censere minorem? A uerecundia.
Digne omni pompa, solenni digne triumpho,
Ingredere ô, lætusq; tuum conscende tribunal.
Da leges, da iura uiris, assuesce uocari
Spes miseris, tutela inopi, dant numina solis
Principibus sapere ante diem, tu Pallade dextra
Oblatis fruere, & regni subeuntis habenas

Arri

Arripe, sublimiq; animo contende priores
Effectis anteire tuos, magis iste, magisq;
Publicus ardet amor, conceptaq; opinio de te,
Agnoscis ne tuos, istum uincisq; pudorem,
Omnia qui uincis, fortunatissime rerum?
Nam quæ multorum fortunæ dona uidentur
Spæsa locis, in te mixta, & collecta tuemur,
Nomen, opes, formam, genus, ô te cuncta repente,
Et pariter factum, nanq; ut te in regna locarent,
Exiguo spacio, & properato occumbere læto,
Ante duos uoluere dei, succedere præ te
Non ueritos, hæc signa dabant, deposceret isti,
Quem fortuna loco nosq; admonuere legendi
Principis, huc quo fata uocent, si tertius esset
Ausus in hoc solium uetito se mittere fato,
Dijs equidem iratis reor, euentuq; sinistro
Punitum errorem, nos læti amplectimur omen,
Fortunamq; tuam studio sectamur ouantes,
Ponite fortunæ reduci sua præmia ciues,
Et templis ornate deam, sacroq; dicato,
Multa reis uoti grata cadat hostia dextra.
Vestris ille animis multaq; cupidine nuper
Expectatus adest, tam longo tempore pro quo
Pallida turba fuit, sub cuius spesq;, timorq;
Constitit aduentu, cuius uestra omnia uosque
Commusistis opi, præsto est, qualemq; ferebant,
Apparet, capiturq; oculis, gestitq; uideri.
Spesq; omneis implere cupit. Nunc Moge superbi,

Fortuna Alberti.

Nunc

Nunc tu Rhene pater, longo post tempore tandem
Optatis saciare tuis, & pone timorem.
Oblatum est, quod tu multumq; diuq; petebas.
Gauisis transmittis aquis, atq; accipis alueo,
Vt velles dominum, uideo te augustius undis
Intumuisse tuis, & utraq; hilarescere ripa,
Exultare uagum, lætosq; inuoluere fluctus,
Auditum resonare nemus, mugreq; nymphis
Antra tuis, sonitumq; remissum è montibus imis
Accipiunt ualles, reboat clangoribus aër.
Multa repercussis modulatibus insonat Echo.
Cuncta silent, studio insolitum mirata fragorem,
Et plausu stupefacta tuo, scopulisq; resultant
Gratantes numeri, & uoces te autore coactæ.
Mirantur Satyri, choreasque in littore ducunt,
Numina ruris ouant, tu festo ornate paratu
Inueheris, fluuiosq; uocas, qui collibus errant
Teutonicis, largasq; epulas regaliter auro
Extruis in uitreo, sed quæ conuiuia raris
Motibus exequeris, non hoc citus abnuit Ister,
Æqualis fraterq; tuus, primosq; petiuit
Accubitus, quem deinde sedent popularia circum
Flumina, in Euxinũ quæ cũq; hinc abstrahit æquor.
Paruus Iler, curuusque Lycus, quiq; acribus instat
Rhœticus Inus aquis, Bauarisque in montibus errãs
Largus Eser, Bemusq; Nabus, quiq; impete fertur
Trana cito, cui se comitem uicinior Enus
Adijcit, Igla celer, piscosus Thesia, flexus

Ad Rhenum.

Rheni cõuiuium.

In diuersa Moras, sed nec gratissimus hospes
Albis abest, sociosque uehit, te Multana primum,
Ægera te, Misnumq; Salam, neq; linquit Hauelum,
Hos præter conuiua uenit Quadus Odera linquens
Sarmaticos colles, cui uix de nomine cedens
Fraternas dat Nyssus aquas, è fontibus ijsdem
Qui fluit, & tractu tot millia fertur eodem.
Fœcundi uenit unda Spreæ, uenit istula nudans
Terga Borysforum, lato quiq; amne Visurgis
Vestiphalos humectat agros, Frisijq; rebellis
Qui per iugera fertur Emas, Eburonicus astat
Mosa tibi, plauditq; simul, gaudetq; uocari
Ad commune epulum, quibus ipse domestica misces
Flumina, magnanimi qui scindit rura Sueui
Neccaron, & toties uario qui errore moratur,
Ipse suos cursus, replicato flumine Mogum,
Arma uirûm, indomitiq; rigantem iugera Franci,
His tua Vesterichum coniungit mensa Mosellam,
Quo non maiores alter tibi miscuit undas,
Hæc quoq; finitimi ueniunt ad gaudia fluctus.
Et Germanus adhuc Athesis, quanquã alpibus erret,
Et ruat in Venetos, deserto Teutone, campos.
Tot fluuij, fontesq; omnes, & stagna, lacusq;
Conueniunt, tu te medium componis, & urges
Conuiuas, miscesq; iocos, longoq; moraris.
Affusos sermone deos: tam tristia si quis
Pertulit, inuitas animum ad meliora iacentem,
In Venetos Athesis, in Turcas palluit Ister.

Tu promittis opem, & laceras deponere curas
Corde iubes, mõstrasque ducem, spẽ rebus ademptis.
Cui festum celebrare diem, cui gaudia prosit.
Tum blandum moliris Io, clamantis ab ore
Exceptum referunt omnes, resonantia plausu
Atria contendunt, tibi gratificatur amico,
Inq; uicem se turba ciet, quos inter honoret,
Cui non lætitiæ, cui non te Rhene triumpho
Indulgere iuuat, uos nunc concentibus æquis
O proceres laudate ducem, cui talia fiunt. Exhortatio.
Plaudite cum uestro, curasq; amittite, Rheno.
Et festum exercete diem, uotisq; fouete
Hunc memores, nitidoq; igitur signate lapillo,
Illum equidem nobis albo neuere sorores
Vellere fatales, fortunatumq; uocarunt
Egregij natale uiri, feruete frequenti
Igne uiæ, sparsis lucescant compita flammis,
Lætitiam testata uirûm, plebs omnis adoret
Principis aduentum, summo excipiatq; fauore,
Libera facta ducem, nullis non gaudia templis,
Nulla non sint plena domo, plateisq;, foroq;.
Vos Moguntino circundate uincula Iano.
Pax erit, in curuas gladios contundite falces, Pax restauratio.
In uomerem, in duros galeas conflate ligones.
Quis canet hos plausus? æqualiq; efferet ore
Lætitiam populi, & tales te intrame paratus?
Aut quæ posteritas credet, fictumq; negabit?
Hæc erat illa fides, superûm hæc promissa fuerunt,

Tem

Teutoniæ matri stygium iurata per amnem
Venturum, Alberti rediuiuam á stemmate prolem,
Præsidium patriæ, & magnæ noua pignora laudis,
Idq; ita uelle deos, nanq; ut senis ordine fati
Flebilis emeritos abruperat Atropos annos,
Incidit in laceros mater Germania luctus,
Multa super conquesta uiro, corpusque tenebat
Exanimum, complexa sinu, blandoq; fouebat
Brachia circundans nexu, & miserabilis omnes
Turbabat fletu populos, lachrymasq; ciebat.
Pallida labra manu tangens, dumq; oscula figit,
Ore cicatrices, obductaq; uulnera mento
Cernit adhuc, dirisque patentia pectora rimis,
Brachiaq;, & multo sulcatam uerbere frontem,
Et nusquam non signa sui, monimenta laborum.
Tunc sic orsa loqui. Tu nunc fortissime tantas
Perdideris pugnas? nec te tua splendida uirtus
Abstulerit leto, decus immortale parentum,
Immortale meum? fatoq; obnoxius ibis
Contemptum in cinerem? manesque æterna silentes
Nocte sua? uilesque inter misceberis umbras?
At si dignus honor claris uirtutibus esset
Desuper, & starent meritis sua præmia factis,
Debebas superesse mihi, damnare nocentes,
Erigere insontes, & bella capessere pro me.
Infelix, tu nunc uacuum sine fomite corpus,
Mente iaces, poteritq; tuos contemnere uultus,
Qui prius extimuit, uos ô decorate supremis

Ger

Germani proceres hoc funus honoribus. Ite,
Ite graues animis Franci, pullataq; Sueui
Agmina, ferte faces, miscete incendia, mœstis
Illachrymate rogis, fletuq; lacessite flammam,
Irrorate thoros, humerisq; subite feretrum,
Et cumulate pyram, medijs inspargite bustis,
Vina, dapes, mellisq; cados, & pinguis oliui.
Abluite amne sacro frigentis, & ungite corpus,
Flete duces, gemituq; struem componite acerbo,
Et tædas, ipsumq; super uenerabile pondus
Dignam anima carnem, dignam uitalibus auris,
Relliquias mihi ferte uiri, legite ossa, sepulchro
Marmoreo, fundam ipsa simul lugensq; recondam
Cinnama, thura, rosas, casiam, croca, balsama, myrrhã
Desuper arma uiri ponam inconsumpta, petitum
Mille locis clypeum, frameamq; à cæde rubentem,
Et gladios thoraca simul, galeamq; iubasq;,
Virtutemq; ducis uersu sua saxa loquentur.
Hoc uiuo stetit, hoc cecidit Germania lapso.
Me tanto spoliata uiro, uiduata parente
Quo referam superi? tuq; ô, cui prima meorum
Cura fuit, cui prima dedi libamina semper
Mars pater, unde mihi, quantum hæc rapit hora redi (bit.
Infelix, quæ culpa mea est? quo crimine læsi,
Qua non demerui superos pietate fideq;?
Quod genui, genuisse uolens, auellitur, in quo
Spem posui, rapitur, stygijsq; immergitur undis,
Nec scelus hoc, fatum est, at nõ Br. areia quondam

Tumulandi ritus.

Epitaphium Alberti aui.

Mars Germaniæ pater.

Cum peterent tormenta Iouem, centumq; lacertos
Tenderet Ægeon, Pindum iaculatus & Ossan.
Mitteret Enceladus scopulos, fureretq; Typhoeus,
Iret in aduersos pubes Titania cælos,
Oppugnata meos concessi in sydera montes.
Me miseram, quòd non uolui tentare repente
Cuncta prius per te, fatumq; anteire, tuisque
Viribus ad maiora frui, quæ multa fuissent.
Hoc ego debebam Venetas intrare paludes,
Hoc duce debebam Celtarum excindere fraudes,
Turcarum calcare nefas, Asiamq; pudendo
Exuere imperio, & congestam abducere prædam
Bistonia Thrace locupletiq; Hellesponto.
Verum aliter uisum superis, teq; inclyte uictor,
Inuidit fortuna mihi, rapuitq; laborum
In medio cursu, tu furui pallida Ditis
Regna petes? stygiasque domus? & pallida noctis
Antra? tenebrososq; specus? penitusque latebis
Orbe alio claris heros erepte trophæis?
Quis uolet hos uultus fabrefacto effingere in auro?
Marmore seu Pario, fusoue animare metallo?
Petitio Germaniæ. Vos unum præbete mihi, si debita posco,
Si non falsa meo est promissa potentia Rheno
Orbis, & imperium mundi, si non mea tellus
Phlegra fuit superi, saltem hoc concedite, restet
Hac de stirpe mihi soboles, qua fidere possim,
Solariq; inopes casu, date sanguine ab isto
Respirem, ferat illa domus, quo ablata renasci

Spes

Spes queat, hoc rediuiuus honor de nomine surgat,
Hæc Gradiue pater, si non præsentius ullis
Numen habes terris; si prima ab origine gentis
Prona fui, semperq; tuis obnoxia sacris,
Per Mannu sobolem; natosque Tuisconis omnes,
Pignora plena tui, surdo uota assere cælo.
Dixerat hæc, fusiq; deos mouere precatus,
Continuòq; patri data summa negocia Marti,
Solari attonitam, & celeres responsa per auras
Ferre; sinat lachrymas, & luctu cesset inani;
Adijciat fatis animum, consideret in quo
Sint humana statu, uitæ, mortisq; propinquum
Retro legat spacium, tum quàm crudele necessum
Vim gerat; in quos declinent mortalia fines,
Quoue in se redeant nexu, tu ne inscia rerum,
Mars ait, insuetos tanquam mirabere casus,
Quæ nunc euenunt? tantis exercita fatis
Fata reformidas? & adhuc exempla requiris,
Vnde nouas, oblita tui, solere ruinas?
Nec uetera occurrunt? & quæ maiora dolendi
Instrumenta forent? esto dolor altius intra
Viscera radicem iacturæ fixerit huius,
Tuq; magis casum doleas ex omnibus istum.
Fatorum ne paras irrefragabile numen
Cogere? & æternas retro diducere leges?
Firmatamq; colum? quodq; irreuocabile pensum est?
Germanæ uirtutis erat, contemnere mortes,
Despicere, atq; omnes infra se ponere casus.

Mars ad Germanos

Aut Cimbras imitare tuas (tibi fœmina magnum
Condidit exemplum) aut Germania uelle uocari
Desine, quod superest, ut qua mercede rependas
Funera, mœroremq; tuum, præsaga futuri
Ne pete, iam natum est, quo se tua gloria passim
Prorogat, ipsa uides geminis è fratribus ortos
Hinc atq; hinc pueros, felicia pignora matrum,
Iam paruos, & signa sui præ se ampla ferentes,
Haud una his tellus, una haud se regia debet.
Non capies etiam ipsa simul, sparsosque uidebis
Orbe uago dominos, summis uirtutibus omnes
Diuitijs omnes claros, regesq; uocabis.
Et nolis non esse tuos, obliuio magni
Hæc erit Alberti, priscos reuocabis honores,
Et priscos hac prole duces iactabis alumnos,
Gaudebisque tuas iterum iuuenescere uires. (ris.
Quid moror? his uegetis, nihil est, quod deesse quera
Addere nil cupies, neq; quenquã ita tẽpora magnum
Ista ferent, aliquid á quo tu rere petendũ,
Et cui non possis ex his conferre priorem.
Rectores populis sparges, diademata terræ
His ultro imponent, tu regnum æquabis olympo,
Imperiumq; tuum, maioremq; ipsa putabis,
Quàm fueris, uilisque tibi tua clara uetustas
Apparebit, erunt etiam noua bella, sub istis
Quæ facias ducibus melius, fideiq; sinistros
Contundes Venetos, Gallosque immensa petentes,
Inconcussa premes, uos sic adolescite nati

Laus marchionum.

In patriæ laudem, certè uestigia tantæ
Indolis agnoscenda datis, tam mollibus annis
Pubescentis adhuc æui splendescere uisi.
Hæc soboles erit, hæc pueri tibi tempora portant.
Virtutes alijs aliæ, qui lumina tollit,
Et recta ceruice sedet, cælumq; tuetur,
Ingentes animos tenero sub pectore uersat,
Optimus imperio, populisque imponere leges,
Inq; fide retinere suos, huic magna gerendi
Maxima uis inerit, tum nemo peritius artes
Militiæ norit, si quando hostilia cernet.
Soli consilium, soli prudentia rerum
Nusquã aberit, nusquã ingenium, mediaq; sedebit
Tutus in inuidia, fortuna tuebitur omnes
Sospitis euentus, ipsum sua regia coniunx
Felicem natis faciet, prolemq; superbo
Spem generi fœcunda dabit, iam regna tenenti
Piscosi prope rura Spreæ fit Marchia sedes,
Altrix illa uirûm, qua te Germania priscis
Moribus agnoscas, quæ nondum aliunde petitis
Decoxit uitijs, peregrini nescia luxus,
Dedita mollitijs, nullis uenatibus apta,
Aptaq; militiæ, rectè Germana uocari
Quæ possit tellus, his adijcietur Haueli
Fluminis omne solum, & uicinũ quicquid ad Albim
Porrigitur, magnumq; nemus, magnæq; paludes,
Oppidaq; & uillæ, reditus, portoria magni
Ponderis argentum, Quæq; inuia reddita diro

Tota latrocinio est, & ab hoc purgabitur uda
Portio Lusatiæ, tum quas citus alluit urbes
Odera, submittetq; genu Pomerania diues.
Cassubij, Slauiq; uagi, se Rhugia subdet,
Balthica quam totam circumsonat Amphitrite.
Fortunate puer, tibi tanta potentia, tantæ
Diuitiæ, uiresque & opes Ioachime tuorum
Augebunt animum, quanquam cessura minori
Sors tua sit fratri, uidem ut caput ille serenam
Porrigit in frontem, totoq; uenustior ore est
Aureus egregiæ partus genitricis, & omni
Dignus amore puer? hic illum nomine reddit
Quem tu quæris auum. Primæ pietatis abundans,
Pœnæ parcus erit, nulla ostentatio morum.
Maxima temperies, moderatio summa, nec ulla
Ambitione sequi uanos certabit honores.
Quos reget hic, pacem populis dabit, omnia tutò
Reddet, & è medijs bellorum faucibus urbes
Eriget, haud poscet metui, sed poscet amari.
In melius uertet sua tempora, gratia simplex
Proferet hunc, probitas per se lucescere coget.
Sacrorum dabis huic curam, diuinaq; primo
Prospicienda loco, genua hoc sub principe flectent
Mille sacerdotes, astabunt uertice nudo
Pontifices alij, magno hic sub Cæsare primus
Consulet imperio, gratabitur ille secundo.
Vulgus adorabit, primum dat Saxum honorem
Præsule delecto, maiora in commoda Rhenus

Abstrahet, occurrent domini, mediumq; locabunt,
Læti animis omnes, summisq; fauoribus omnes.
Dixeris hunc igitur felicem, igiturq; beatum,
Quòd tanta inuidiæ stimulis fortuna carebit.
Gratus enim multis, sed amabilis omnibus ibit
Istud in imperium, si quis se obiecerit armis,
Sedabit non arma gerens, clementia bellum
Destruet omne uiri, quis enim non lædere certus,
Et iam grande nefas sumptis molitus in armis,
Hoc uiso lenitus erit, ponetq; furorem?
Macte puer uirtute togæ, pacisq; reductæ.
Ille autem media qui se intranquillus arena
Iam puer exercet, ferturq; in harundine præceps, Casimirus
Obuia quæq; petens animo, æqualesq; lacessit, Marchio.
Fronte minax, oculis ardens, cui multus in ore
Viuit auus, iuueni quàmprimum frena remittet
Arcta pater, dederitq; suo iam uiuere ductu.
Fœlix prole tua, felix Germania tantos
Rerum nacta duces, nemo hoc instructius ibit
Hostis in occursum, quòd si tibi prælia curæ,
Æquabit Casimirus auum, nec laude minori
Induet Albertum, solum Germanus amabit.
Solum hostes metuent, quo non feliciter exis
Illius auspicijs? quæ non tibi prospera cedent,
Aspice, ut indomitum iam nunc caput obijcit, omnes
Fortis in euentus, crescet crescentibus annis
Vis animi, natiuus honos, atq; insita uirtus.
Excibit resides animos, desuetaq; bello

Pectora in arma trahet, pugnabit, & ocia rumpet,
Proferet imperium, & si tu commiseris uni
Rem totam, maiora tibi non gesserit alter.
Herculeas transire uias, Bacchiq; supremam
Hic poterit metam, & Macedum superare labores,
Perferet Ædonias hyemes, boreæq; frementeis
Contemnet flatus, gelidam calcabit Hybernen.
Spernet Hyperboream glaciem, Riphæa ruenti
Frigora non oberunt. Haud ulla ita feruida tellus
Syrius æstiuos ubi feruor adusserit agros,
Agmina ducenti obstiterit, non Aphrica syrtis,
Ignea non Libyes plaga, non Aegyptius ardor,
Ducet ad Eufraten, fines superabit Iberos.
Turcarum inuadet, si tu mandaueris, urbes,
Diripietq; Asiam, Byzantia mœnia raptu
Extrahet, Æmonias arces, & graia reducet
Regna ferox, ausus de fonte inquirere Nilum,
De fine Oceanum, Tanaim calcabit, Orontem
Inuadet, transmittet Halyn, contendet ad indum,
Caspia claustra ruet, complebit stragibus orbem.
Et tu si hac uirtute frui, si uiribus uti
Ad maiora uoles, extrema per omnia curret.
Hæc ego signa dedi, tu prima impone ferenti
Quodquod onus decerne uti, quod numina donant,
Quod rapit hora fugax, da magnis præmia factis,
Inuita precio uirtutem, ale honoribus arteis,
Commenda studium donis, nec largus ulli
Regna duci dederis, prouincia quælibet illi

Cona

Contingat, maiora datis, sine tempora, reddet.
Vicerit inuidiam, iuuenis primordia regni
Dijs reget æquales Francos. Hoc nunc quoq; tantæ
Indicium uirtutis erit, iam balthea tractat,
Iam thoraca mouet, clypeosque & ferrea nudat
Instrumenta necis, cristáq; & casside gaudet,
Gaudet frena manu contingere, iamq; laborat
Currere eques, iaculumq; manu uibrare, tubæq;
Exilit ad sonitum puer, & nunquam satis audit
Tergora tensa boum, me totum absoluit in illo
Omnes ad numerot, rerum natura creatrix.
Quis nunc illorum, de tanti insignibus actis
Degenerarit aui? nec in his fortuna relinquet
Vlla locum, te regna uocat, ubi Dorida pulsat
Istula Sarmaticam, ueteri regnata Borusso.
Et fractæ Liuonis opes, Litauiq; palustres.
In te Pannonicæ coniurat portio gentis.
Gaudebunt patrij populi, Venetiq; timebunt.
Et tristaris adhuc, amissáq; pignora luges?
Reijce ab Alberto curas, meliora dabuntur,
Tempora per stygias tibi Iuppiter annuit undas.
Quæ postquam audierat, magno Germania motu
Erexit sese, & luctu reuocauit mani.
Mœstitiáq; animum soluit, posuitq; timorem,
Obuia spem uotis complexa, metumq; remisit.
Et læta incessu patuit, uidere recinctam
Continuò gentes, quali solet esse paratu,
Nam patrio uelata sago, spolijsque ferarum,

Germaniæ habitus.

Errabat succincta humeros, manibusq; rigentes
Induerat uillos, errant á uertice circum
Spirantes Boreæ, & niuibus riget hispida ceruix.
Hercynioq; intenta iugo, nemora alta petiuit.
Ingentem quatiens frameam, circumspicit inde
Omnes in populos, atq; omnibus imperat oris.
Tempore iam ex illo summa expectatio nobis
In uestram est erecta domum, dum singula natet
Euenunt maiora fide, da maxime Princeps,
Da ludis, pompæq; locum, sine gaudia lætis
Aduentu concepta tuo se extendere passim.
Et pudet, & facies, neq; enim non gaudia cogunt
Sæpe aliquid, cerne, ut nequeant auellier abs te,
Nulla ira, nullisq; minis, qui te in sua passis
Accipiunt manibus, cerne, ut saliuntq;, ruuntq;
Motu incomposito, ueniamq; ab amore merentur.
Non aliter, quàm cum peregre genitore profecto
Multa diu cupidos tenet expectatio natos,
Suspensamq; domum, metuunt sperantq; uicissim,
Sollicitiuotis, solers timet omnia coniunx,
Omniaq; exquirit, cum nunc rumore sinistro
Fertur in Ionio puppim fregisse profundo.
Nunc superesse neci, redit hic tot eunibus annis.
Et speratus adest auidis, nec gratia longa est
Attenuata mora, discurritur, obuia certant
Obsequia, applaudunt reduci, exanimata salutat
Lætitia coniunx, sic te officiosa tuorum
Post desideria, & longi tormenta timoris,

Comparatio.

Ne qua interciperet medio fortuna periclo,
Excipimusq; hilares, exultamusque recepto.
Quis non exiluit? quis se exiluisse putauit?
Quidue ageret sensit? non amisitq; pudorem?
Si modo amore tui quicquam fecisse pudendum est.
Huc epulæ genialis honos, mollesq; choreæ.
Nos fescenninos numeros, Thymelenq; sequamur. Exhortatio ad lætitiam.
Hic nerui cytharæq; sonent, hic plectra, lyræq;.
Personet omne tubæ genus, omnia cornua clangant.
Hoc iterum dico, hoc iterum Moguntia gaude,
Et sponso gratare tuo, uix rectius unquam
Suscepto gauisa duce, hic comendite ciues
Officijs, cantate deum laudantia uerba.
Ferte preces, diuum templis indicite honorem,
Et quæ præterea non ipse petitue iubetue.
Verum ingens meruit uirtus, quæq; integra pulsat
Fama polos, uos qui cupijstis nuper, habetis
Et pacem, & tutum, requietaq; tempora pressis
Motibus, exaltare iuuet, partumq; tueri.
Ipse hunc nec petijt, nec detrectauit honorem.
Obtulimus, quodq; est titulo speciosius omni,
Cum precibus regnum accepit, meruitq; rogari.
Cunq; suas posset moderari tutius urbes.
Vnde illi genuinus honor, quod nostra poposcit
Vtilitas dedit, externoq; assensus amori est.
Sæpe facit lucrum dominos, rerumq; cupido.
Hunc perspecta fides, & commoda nostra parentem.
Sæpe dat ambitio regnum, nihil ille petiuit.

Mul

Multos uota trahunt, nunquam hic optauit ab illa
Diuelli patria, multis occasio præsens
Non fuit, ut ferret lectis suffragia punctis.
Regnat adoptiuus, plusquam genuinus amatur.
Huc ades ô, proceresq; tuos amplectere princeps,
Et tantas securus opes accersimus omnes,
Omnibus ut regnes, dubitas? hæresq; pudore?
Accipe poscentes, ultro iuga sub tua cedunt,
Qui cogi uoluere prius, te principe rerum
Dulcior usus erit, uitaq; suauius uti
Propositũ est multis, quod habent, cupiere tot annis,
Spe maior meliorq; tua, cupientibus adstas,
Hac specie, atq; istis oculis, tibi gratia formæ,
Natiuusq; decor præbent augmenta fauoris.
Vix ita succensas sicco iam culmine fruges
Ventus agens flammas exercet, & impete nutrit
Serpentem crepitum, tũc cum procul omnibus esses,
Finximus aspectum quendam, non finximus istum,
Omnia sunt uero maiora, incredita præstas.
Viui oculi, purusque color, frons læta pudoris
Signa uerecundi, tantum os è sanguine rubrum,
Quantus inest animo pudor, optimus undiq; cõstat
Membrorum modus, ex omni te parte uenustum,
Ex omni æqualem fecit deus, æmula tantæ
Corpora uirtutis, uultusq;, & amabile signum.
Expirate rosæ, summi uanescite cultus.
Hic decor, hic amor est. Quid tum, si inuiderit istũ,
Dum malit regnare sibi, uicinia nobis?

A uerecũdia.

A formæ gratia.

Iam uetus hæc lis est populis, pro dotibus istis
Certatur, quod quisq; cupit, dum possidet alter,
Æstuat intra se, melioremq; inuidet auram.
Nos fortuna beas, frustra affectantibus illis,
Regia Francorum soboles sibi uendicat ortum,
Marchia nutricem iactat, tum Norica ciuem
Vult urbs esse suum, dominum gens Saxona primis
Obtinuit uotis, maiora in commoda Rhenus
Abstulit, in maiusque decus, ne credite ciues,
Non dijs auspicibus, certè haud manifestius unquam
Hortati superi, uos læti admittite dignum
Hoc desiderio donum, sperate futuros
Accessu meliore dies, iam prima iuuentus
Dant maiora anni, spectatur ab indole uirtus,
Certa sui semper, quæ sic cœpere, subinde
Immutata manent, cui laus à gente uetusta
Prodijt, atq; animos stimulant uirtutis amore,
Egregijs monumenta notis, & imago suorum,
Gentilisque decor, titulis, famaq; recenti,
Indole qui tanta est, istos spectatus ad annos.
Hic poterit non esse bonus? aut desinet unquam?
Fortunate pater, talem te cernere nuper,
Ardor erat populis, creuit reuerentia uiso.
O fœcunda uiris Germania, sola priores
Quæ uincis, semper quæ prisca recentibus auges
Cultibus, & nunquam finis à maioribus illis
Degenerare decus, tu nondum effœta parentes
Æquasti uirtute noua, nec desinis unquam

Indoles.

Germania

Esse

Esse tui similis, dum flumina fontibus errant
Irreditura suis, cælum dum uoluitur astris,
Dum fouet Oceanus pisces, animalia tellus.
Constabis semper tibi tu, semperq; fereris
Terra ferax magnorum hominum, dāt uellera Seres;
Laus Germaniæ. Fert Hebenum, fert Indus Ebur, sua thura Sabæus,
Balsama Iudæi; Tagus aurum, rubra smaragdis
Est fœcunda Thetys, laudat sua pocula Lesbos;
Thraces equos, Chalybes ferrum, Germania fortes
Nunquam exhausta uiros, sobole producit abunda.
Rumpere lætitia gens Martia, & inuehe plausus
Nunquam alijs uisos, iugi contendite pompa
Arctatas opplere uias, emergite tectis,
Ingenti clamore uiri, innuptæq;, nurusq;.
Nullis fessa ætas, nullis pudor obstet, honorem
Vult fieri sibi magna parens, nec lætior ulla
Pertulit in pompa se luxuriante uideri,
Indulsisse sibi strepitu, nimioq; triumpho.
Aspice, ut ingreditur magna excipiente caterua,
Ille decor patriæ iuuenis, quem dicere possis
Delicias populi plaudentis, & orbis amorem.
Rhenus adest, dominumq; suum, regemq; salutat.
Nunquam ita læta deo facies prius, ipse uerenda
Maiestate sedet, fluuioq; inuectus ouanti
Progreditur, uultu quæ iam conuiuia liquit,
Ostendens, hilaresq; oculos huc uoluit & illuc.
Rorantes pexere comas à uertice nymphæ.
Tum flores ac serta super, frontiq; madenti

Impoſuere roſas, ſeruataq; lilia circum
Tempora, connexis uiola uariante coronis.
Quas non frangat hyems, nulla exiccauerit æſtas.
Cornua frõde uirent, glaucum caput omnibus ardet
Floribus, haud uulgaris honos oculisq; genisq;.
Quã ſolita eſt plus barba madet, dat alacrior imbres
Sudantis facies, ſtillantq; à uertice riui,
Et lætæ per pectus aquæ, tumet altius undis
Ipſe ſuis, collumq; leuat, uix accipit amnem
Alueus immodicum ripa turgentis utraq;
Ebria gratantur tam læto flumina paßim
Circunfuſa deo, plauduntq; & mumure dulci
Indigenæ fluuij miro modulantur amore,
Præſulis in laudem, iubet ipſe, & plurima mandat
Addictis geßiſſe moram, cui feſtus amictus
Palla tegit latos humeros longißima tractu.
Et lato diſtenſa ſinu, quæ ſyrmate longo
Immenſum telluris obit, tot iugera uerrens,
Tot per prata iacens, imos legit infima montes.
Gramineas operit ualles, trahiturq; ſupina.
Textilis, Hercyniæ matris ſpectabile donum,
Nymphãrũ labor, huic omnes quæ flumina ſeruant,
Quæ fontes, quæ ſtagna regunt, ſub numine quarum
Florea rura ſilent, quæcunq; horrentia lucis
Obſeruant nemora & montes, centumq; per annos
Intentæ ſedere operi, pars tingere lanas,
Pars agiles radios extenſæ impellere tedæ,
Pars lento graciles auro circundare filos.

Pallium Rheni.

Lõ

Lanificam tenet illa colum, tractatq; per artem
Clostoreos fusos, digitisq; uolubile pensum.
Pectinis hæc moderatur opus, coquit altera aheno,
In graciles discerpta modos, quo uellera tingat
Herbarum succos, hæc uix imitabile uisu
Pingit acu summorum hominum uetus argumentũ.
Ars precium superat, uacuis certamina nymphis
Hæc posuit mater, stimulat contentio, certant
Esse pares, iubet artifices in stamine pugnas
Ipsa suæ gentis cerni, ueteresque labores.
Primorum monimenta ducum, patriosq; triumphos,
Hic honor, hæc laus est, hic cur tu Alberte labores,
Sponte subit ratio, fert hic sua præmia uirtus.
Magnanimos inter proceres, Rhenique sodales,
Indice pictura, pars non temnenda tuorum est.

Digressio

Primus honor Marti, clypeo Mars fulget & ense,
Germanamq; manu frameam tenet, illius aris
Victima prima cadit, gentis pater ipse uocari
Gaudet, & Arctoo sedem sibi deligit orbe,
Cernis & Alciden, iunctoq; Tuiscona Manno,
Teutonico horrentes habitu, pugnataq; bella
Et Maia genitum Teutatem, immitibus aris,
Terribili specie, & primos ex ordine reges
Immensa serie, nostroq; incognita seclo.
Ardua facta uirũm, uelles Germania, uelles
Quam uera est, tam sit scriptis tua cognita uirtus.
Quæ fecere deæ, norunt, & prælia & ipsos,
Qui gessere duces, nos uix extrema uidendo

Rerum à Germanis Gestarum catalogus

Mars Germanus.

Hercules germanus

Tuiscon.

Mannus.

Mercurius.

Assequimur, datur ingentes Istheuones armis
Noscere, & Hermionũ præceps genus omnibus ausis
Magna gerunt, spernuntur opes, at bellicus omni
Quæritur ingenio decor, & uirtute paratur
Fama uiris, uiden' ut quisquis feliciter horum
Rem gessit, non auxit opes, uerum auxit honorem?
Ecce uagos armis Cymbros, trepidantia contra
Castra Italûm, Latiaq; metus in gente coactos.
Carbo fugit, capitur Scaurus, Syllanius in hostem
Frustra agit, ostensæ pœnam dicit Cassius iræ.
Præcipit arma bolus, primam dat Gallia prædam,
Primaq; terrifico mirata est tympana pulsu,
Germani inuentum Martis, Cimbriq; furoris,
Manlius infausto contra trahit agmina cursu.
Cepio succumbit, uasto tot millia campo
Circunfusa iacent, fines it uictor Iberos
Sollicitare manu, & uastas miscere ruinas.
Celtiber obstat eques, motis petit Itala signis
Regna ferox, contra est Marius, data copia pugnæ.
Quis non ille dolis, qua non se fraude tuetur,
Dum uincat quocunq; modo? quam uiuere credas
Fœmina picta mouet pugnas, & nescia uinci,
Ipsa sibi uictrix mortem consciscit, & aufert
Carceris opprobrium, tot bellum pendet in annos,
Hic Ariouistus Gallorum uictor in armis
Lucet eques, spernitq; hostem, non spernit amicum
Romanum, conspersa uides, collectaq; passim
Agmina, Germanos equites, Hos Cæsar in omneis

Istheuones
Hermiones.
Cimbri in Romanos
Bolus rex
Tympania
Fœminæ Cymbrorum.

Germani sub Iulio militãtes.

Secum agit euentus, his se committit, in unis
Spem locat his, ponitq; fidem, te Gallia uinci
Non pudet, at puduit, terrent Germana Britannos
Auxilia, Hispanos arcent, pugnantibus illis
Splendida Pharsalico parta est victoria campo.

Pons Iulij in Rheno.

Hic indignato pontem consurgere Rheno,
Cernis & Ausonias ripa ulteriore cohortes.
Inde hostem (quem ne inueniat, timet) indice quærit
Nostre ferox Italus, uacuosque indagine montes
Lustrat, adit sylvas, atq; obuia tesqua lacessit.
Parte alia collecta acies Germana sub hostis
Considet aduentum, quo nunc ruit ille, Sueuus
Exclamat, pugnamq; petit, tu Belgica castra
Cæsar adis, Celtasque tibi succumbere suetos.
At tu, non ijsdem fatis, non numine eodem,
Vare sapis, uiresque tuas satis esse putasti,

Quintilius Varus.

Arctoam contra uirtutem, & teutona bella,
Auxilijs circumsepte, & legionibus illis.

Arminius germanorũ Brutus Auar in auxilium Romanis.

Ecce autem erepta pro libertate feroces
Conueniunt populi, Germanoq; auspice Bruto
Arma serunt, uiuum Arminium, uiuumq; putares,
Qui Macedum trahit agmen Auar, cælestia signum
Venturæ ostendunt cædis, Romanus haruspex
Præuidet iratos superos, clademq; minantes

Clades Romanorum apud Lycum.

Signa canunt, campoq; Lyci concurritur armis.
O patria, ô magnum mundi decus, omnia bella
Prospera Romanæ fortunæ, omnesque triumphi
Non poterunt huius iacturam æquare ruinæ.

Pro-

Profligata acies, tot millia cæsa Latini
Nominis, externos gladij excepere tyrannos
Vindelici, tot nostra neci dedit ultio reges,
Interijsse simul, quot non prior audijt ætas:
Indiscreta alijs pugna est, dux ipse minores
Præterit, & solis audax se fortibus infert
Arminius, gaudetque uagas se uindice cædes,
Sanguine commixtas Italo, sua libera regna.
Ereptamq; iugo patriam. Qui uertice crines
Eijcit, & secat ungue genas, fronemq; caputq;
Pariete collidens, clamatq;, ô redde peremptas
Vare manus, & signa reduc, uiglesque per urbem
Disponit, maiore metu, quàm contigit unquam.
Hunc uocat Augustum sua Roma, patremq; receptæ
Appellat patriæ, qui sparsi in montibus errant,
Ausonias populati urbes, prædamq; ferentes,
Noriciæ, Rhetæq; manus, duriq; uocantur
Algiones, qui deinde ruunt terrore supremo,
Et flammis ferroq; uiam, per regna, per urbes,
Efficiunt, Germanæ acies, exercitus Hunnus
Attila dux ingens bellum. Quo tempore primum
Coniuncta est Scythicæ pugnæ Germania genti.
Non procul hinc aũt Gotus instat, & optimus armis
Vandalus, his Heruli iungunt socia agmina, mittit
Sueuus opem, tu Roma nouis populatibus urbi
Clausa times, rapit hostis agros, turresque, domusq;
Ferro aperitur iter, flammis sese omnia miscent.
Hæc Roma est, cuius quis uera incendia dicat?

Augustũ Cæsaris consternatio.

Iterũ germani in Italiam.

Hunni cũ germanis in Italiam

Roma incensa. Et uerè Gothicis ablatas hostibus arces.
Finxerunt nymphæ uiua omnia, fallere uisus
Intentamq; aciem poterit, qui præcipit ignes,
Totilas. Vrbe uaga Totilas quæ dehinc noua surgere bella
Nympharum textura docet? proh Iuppiter ingens
Carolus Magnus Francus. Gloria, Francus eques, dura agmina, mota repente,
Pipinumq; genus. Dic nunc Germania, quis te
Altius extulerit? longam fert Carolus hastam,
Horrentemq; notis clypeum, fert cominus ensem,
Terribilemq; implet galeam, procerius illo
Corpore non aliud, toto non agmine maius,
Viribus aut bello melius, Gallosq; Britannosq;
Italiamq; domat, Siculos rapit, hoste fugato
Liberat Hispanos, totum mare puppibus ambit.
Mirantur Graiorum urbes, te Turca pauentem
Attonitæ uidere Asiæ, dant ampla tyranni,
Dat spolia Ægyptus, Pharios dare munera reges
Cogit Franca manus, tota Aphrica, totus adorat
Victores Oriens, Solymam qui presserat urbem,
Deserit, augetur pietas, pro crimine pœnas
Saxones expendunt, tu perdis Gallia nomen,
Gallia Frãcia dicta. Francia uis dici, tantum concedis honori,
Virtutiq; ducis, laudi gratare paternæ,
Et proauis Alberte tuis, tibi fama decorem
Nominis ista feret, pius hinc Ludouicus amica
Pace sedet, sua sacra, uiro non prælia curæ.
Pingitur Arnolphus, turbata pace perosus
Ocia tranquillosq; dies, obliquus in omnes,

Dee

Deſide qui torpent uita, nec poſſe uidetur
Ferre ſacerdotum luxus. Quis terror Othonum,
Quale decus ſuperi? Tu Pannonas excipis acri
Marte rebellantes, te uindice libera Roma, Othones.
Liberáq; Italia eſt, qui pendent uertice nexo,
Pannoniæ uixere duces, te Martia ſenſit
Roma ſibi ſimilem, nanq; in te regia lucet
Maieſtas, decor imperij, componere lites
Auſus es, & medio Romam cenſere ſenatu.
Cedere colla ducum, faſces ſubmittere pœnæ.
Et ſonteis punire reos, ſolióq; retractum
Pontificem, Petriq; loco, diſcorde relegas
A patria. Verum alta domi per te excita uirtus
Saxones extollit proceres, iam tempore ab illo
Lætatos genus eſſe tuum, nec ſegnior armis
Ingenio melior regnat tua regia proles.
Per uarios caſus, prima huic uictoria cedit
In Sarracenam rabiem, Maurumq; furorem.
Græcia dehinc uicta eſt, iterum dat Gallia palmam.
Dum uerſa eſt fortuna retro, quæ tanta repente
Inuaſit clades? ſparſo fugis obuius hoſti
Solus, & in lacera tecum uehis omnia cymba
Magnum animum, ſed qui prēdit, nō credit Othonē.
Hoc tibi lingua dedit, neq; enim prius ore locutum
Audiuere ſuo Graij perfectius ullum,
Cui patriam Boreale gelu, Rhenusq; dediſſet.
Nec Beneuentani manet impunita timoris
Pernicies, autorq; fugæ ferro, igne petitus.

Dat pœnam, Latio post hunc sublimis in ostro
Tertius ardet Otho, & cinctum diademate largo
Ostentat regale caput, cui maxima posset
Regnandi uirtus tribui, nisi tanta tulissent
Antè auus, antè pater summæ præconia laudis.
Ille autem placido uultu, cui plurimus ore
Candor inest, Henrichus erat, non sanctior illo
Præfuit his regnis, cui non contemptior uxor
Aßidet, has animas cælo damus, ille feroci
Cui turget facies ira, plus arma minatus
Effecit, quàm qui sumptis certaret in armis.
Francia Conradum genitrix uocat, inde sequutus
Fortior Henrichus, per totam incendia ducit
Bemorum patriam, contundit Pannonas, urbi
Pontificem Romæ legit, huic se filius omni
Fert uirtute parem, belli maiore gerendi
Nomine, collatis toties qui prælia signis
Miscuerit, non Roma dabit, non Teutona noscet
Turba memor, felix, si non genuisset in illo
Ipse sibi dominum regno, Germania primum
Tunc uidit scelus hoc, nollet meminisse nepotes.
Strennuus ille tamen bello fit natus, & urbes
Ter rapit Italicas, ter fusum deprimit armis
Pontificem, Solymas hoc rege recepimus arces.
Hinc á Saxonico mouet arma Lotharius Albi
Auxilium Romæ, mouet hinc Conradus ab oris
Sueuorum, cui magna animo, si tanta sequatur,
Audentem fortuna fauens, bellum inuehit astris,

Henrichi.

Inue

Inuehit Ægypto, atq; Asiæ, medioq; labore
Proditus à socio est, hæc Graiæ pessima gentis
In sanum monimenta damus. Quos surgere motus
Hac à parte uides? quæ mœnia feruere flammis?
Quos cadere hic populos? quos ire in funera reges?
Quis penetrat pauidas confestim exercitus Alpes?
Quem fugit ille senex? certè haud iactantius ullum
Fert in ueste pater Rhenus, primumq; uideri,
Laudariq; uolet. Sueuorum è gente superba,
Marte putes genitum, causam cognominis affert
Ænea barba uiro, maiorem animoq;, fideq;,
Se Rhenus uidisse negat. Quid si Itala ploret
Clades terra suas, omniq; hunc oderit æuo?
Oderit, & seruare fidem discat. Tu age, uelles
Hoc Turcis præbere caput, secludere tantum
Christi à gente decus, Petriq; in sede uocari
Maximus antistes? sed enim maiore repertus,
Quàm tu Turca fide, ruit hic ultricibus armis
In Latium, ardenti similis, similisq; minanti
Quoslibet interitus, Veneti dant munera, poscit
Ipse fidem, fugit Adriacos trepidante recessus
Pulsus Alexander Latio, Romana iuuentus
Contrà audere parat, Trebiam Cannasq; silere,
Spoletina iubet clades, sociasq; per urbes
Ambulat interitus, iurati fœdera pacti
Huic frangunt toties Itali, ferro ipse, rogisq;
Vltor adest, æquatq; solo fomenta malorum.
Te Mediolanum, tota hinc uicinia flammis,

Alexãder pont. 3.
Pugna Spoletina

Inde perit gladijs, sese experiuntur in armis.
Et perdunt Ligures, una constrata ruina
Concidit Italiæ summa á radice potestas.
Vltimus est Asiæ bellum labor, occidit undis,
Non poterat ferro, at uoluit, fortuna negauit
Tantum hoc inuicto, simul hac Resp. Christi
Spes summas morte amisit, fleuitque iacentem,
Qui quondam exitio stantem deuouerat omni.
Cernere post Apulas Henricho Cæsare strages
Roma stante datur, deiectumq; ense Philippum.
Et cœptum frustra bellum infelicis Othonis,
Quas rerum turbas, erectaq; pectora, si se
Sors ferat in melius, Friderichus gente Sueua
Excipit, ingenti motu regnisq; potitus,
Bellorum portas aperit, Ianumq; reclusum
Gentibus ostendit, desueta capessite clamat
Arma uiri, mecumq; omni contendite nisu
Accumulare decus, laudesq; æquare parentum.
Sentiat Arctoi uirtutem nominis ingens
Ægypti domitor, uanam sine uiribus iram
Discat Turca rapax, nemo torpere feroces
Sueuorum populos, & Francas dixerit urbes.
Illum hæc dicentem, atq; addentem pondera uerbis,
Circunstant iuuenes, si quem præstantibus actis
Pingit auitus honor, stimulantque in bella priores.
Nunquam aliquod gauisa magis Germania uerbum
Audijt, extemplo summas exercitus alpes
Rheni ab utraq; petit ripa, victoria fractus

Pri=

Prima rebellis Otho, tunc signa erecta ruenti
Auxilium latura Asiæ, uiden' auspice Christo,
Vt paret in bellum, tanto tot millia motu?
Quod nisi conceptum remoretur Honorius ausum,
Quas illi Armenias, quos posse resistere Turcas,
Quemúe putas Syriæ dominum? Sultanus ab illa
Commoda lite refert, uincuntque ingentia regna
Immanes Scythæ populi, tu pone furorem,
Pone iras, odiumque istud sanctissime differ.
Officij cessare tui, tu excindier arma
Sarracena uetas? recipi tot regna, tot urbes?
Aut quænam inuidia est, cursum tardare ferentis
In commune bonum tantarum præmia laudum?
Hac mercede tuæ nolis concedere causæ.
Te fraudata tamen regna, auxilioque retracto
Deserti reges, urgente dolore superbum,
Crudelemque uocant, iam classe perambulat heros
Adriacos fluctus, iam Græcia gaudet & anceps
Antè, metum pellit Thrace, tu retrahis arma
Auspicijs ducenda tuis. Quid quod benefactum
Non scelus esse iubes? redit ille, infectaque linquit
Crimine bella tuo, testaturque omnia iura,
Et fis omne, omnesque deos, pulcherrima cœpta
Inuidia cassata tua, tunc factio tristis
Implicat Italiam, mouet hac à parte tuendo
Cæsareas Gibelinus opes, sed Guelphus ab illa
Pontificem sequitur, socias pugna excipit urbes,
Occursum Venetis, arcete paludibus, inquit,

Irruptio Tartarorum.

Factiones In Italia.

Euganeas ranas, piscatoremq; leonem.
Hinc Vmbros, Tuscosque petit, subigitq; Rauēnam,
Samnitesq; domat, precibusq; se bellicus armat
Aduersum antistes, decretaq; murmura templis
Mille sacerdotum, tibi lux Germana precantur
Excidium, uerum esse deos humana tuentes
Edocet euentus, tu flisce quid ocia turbas.
Immemor ingentis meriti? se Parma tuetur
Obsidione graui, castris uictoria nomen
Vrbis in effigiem ductis, hic Itala tellus
Imperij florentis opes agnoscit, imago
Hic ueteris renitet Romæ, seu bellica spectes
Ornamenta ducis, seu quo trahit ocia cultu.
Partem opere in tanto natis fortuna duobus
Distribuit laudis, bello studet ille paterno.
Hic mouet arma domi, tumidum subigitq; Doringū.
Aspicis, ut nulla est Friderichi obeuntis imago?
Attoniti circum populi, stupor occupat omnes,
Quis trahat è medio, sunt hic tua bella Rodolphe
Infelix Othocarus obit, dehinc pugna duorum
Spectatur procerum, tu cædis Adolphe relicto
Imperio mundi, interea se insignibus ausis
Excitat Henrichus, triplex exercitus illi,
Hinc equites Franci duros inuadere Bemos.
Hinc Sueuos Rheni gentes Istriq; coacti.
Ipse Italos adit, auxilio uenturus agenti
Exilio Gibeline tibi, quas ille ruinas,
Quas infert Italis clades? quæ gloria posset

Hos

Hoc duce Germanis uenisse superstite terris?
Intempestiuum tamen interturbat euntem,
Summorum per clara uirûm uestigia fatum.
Vrbs Hetrusca necis reperit mercede ministrum
Domminici fratrem, magnum scelus, ille ueneno
Imbutum sancti munus uenerabile panis,
Præbet in exitium, quod debuit esse salutis,
Æternæq; epulum uitæ: dic Itala tellus,
Et dic Thusca fides, quæ se maiora dederunt
Crimina? quodúe nefas? Hi qui intestina remiscent
Exitia inter se, sua perdidit Austria uictum.
At Bauarus uictrice manu, & terrentibus armis
Occupat imperium, fauor ingens excipit illum
Germanorum hominum cadit infeliciter, ausus
Ausus pontificem turbare loco, post quē omnia bello
Tentat Ioannes, Italas componere lites,
Romanum formare statum, concordiaq; arma
Excire in Turcas, uerum Itala furta perosus,
Mutatamq; fidem toties, fraudesq;, dolosq;,
Et gemis leuitatem, inconstanteisq; fauores,
Restat ab incepto, te Carole Roma coronat,
Intra urbes uetat esse suas, mandatq; superbus
Exire Italia, simulato antistes amico.
Hoc fers? Romanusq; petis regnator haberi,
Cum non sis Romæ? Quod se execrabile monstrum
Huc dedit, ignauus rex? & Germana uocari
Quæ possit habes, nulla hic gerit arma, nec ullum
Molitur uirtutis opus, torpente supinus.

Henricus scelestè intoxicatus ab ordinis Prædicatorum fratre.

Carolus quartus.

Innocentius sextus.

Mol

Mollicie sedet, & luxu se pascit inerti.
Tantum huius te Rhene pudet, quē deinde uidemus,
Acre Sigismundus Turcæ bellum inuehit hosti.
Aspicis innumeras illum miscere ruinas.
Tot reges mandare neci, exhaurire superbam
Nobilitate Asiam, terra superare marique.
Ille etiam coluit doctos, largitus honorem
Ingenijs, Latio uix magnificentior alter
Contigit imperio, uix circunspectior alter.
Parte alia tua signa uides, pugnæq; furentes
Alberti cernuntur aui, tu sanguine siccos
Agnoscis uultus, & aratum uulnere mentum,
Signatasque manus, conscissaque pectora plagis.
Ducit equos, ducitque uiros, & Norica uastat
Rura ferus, toruosque inuadit milite Bemos,
Silesiasque urbes iuuat auxiliaribus armis,
Illum omnes metuunt, omnes fuguntque Poloni.
Idem alto bello Bauaris contendit, & urbes
Gallorum petit, auspicijsque immensa tuetur
Prælia Cæsareis, Germanum inimicus Achillem,
Qua ruit exclamat, sancitque ea nomina rumor.
Te quoq; iam paruum amplexu fouet ille nepotem,
Arrecti huic omnes populi, spes maxima in illum
Coniecta est procerum, & si se fortuna dedisset
Imperij, sublime caput Germania cælo
Hoc duce, laudibus his in summum erecta tulisset.
Cernis & Austriacum, placida uirtute, statuque
Robertus Tranquillo regnare senem, Venetumq; Robertum

Ino

Impulsas turbare alpes, & Rhetia saxa.
Adriacam sponsam, & Venetas iurauerat undas,
Non nisi uastato patriam remeare Tridento.
Sed nostra uirtute minor, quibus institit undis
Pugnando subuersus obit, Friderichus ab illa
Strage ingens dici potuit, cui filius armis
Inclytus accedit. Quo Maximiliane fugaces
Egisti Venetos? quiq; has paulò antè per urbes
Immisere tibi bellum, totoque cruentas
Miscebant Latio strages, mundique uocabant
Se caput, & magni dominos maris esse ferebant.
Nunc uicti fusique armis, te supplice uoto
Deposcunt ueniam, dextrasque & brachia tendunt.
Dant aurum, legesque petunt, & fœdera pacis
Cuiuscunq; ferent. Tu fixo pectore blandas
Auersare preces, quid enim non antè petebant,
Quàm tuus aëria miles descenderet Alpe?
Ille autem indomitus per multa pericula Gallus,
Aspice mutato luat, ut sua crimina uultu.
Perfidiamque suam, coëunt in fœdera Galli,
Hinc inde & Veneti, quis te satis esse duobus
Posse putet? quis non quenquam tibi crederet horum
Æqualem, quos tu coniunctis excipis armis,
Euincisque simul? ea sit Germania semper.
Sic crescat, ferat his ducibus nomenque decusque,
Virtutique patrum contendat laude recenti,
Effectisque nouis. Tu qui præclara tuorum
Facta legis, quæ te maneant Alberte sequentem

Sanseuerinates.

Adflicti Veneti.

Galli uicti.

Tan-

Tanta exempla uides, urge, & uestigia prende,
Nec sine te uince, sed non sinis, & tua certè
Iam maior te fama uiget, propriaq; superbum
Vicisti uirtute genus, factisq; uetustum
Stemma nouis, & quam cepisti nomina genti
Donasti meliora tuæ, te Marchia iactat,
Miraturq; suam reuirescens Francia prolem,
Numine propitio, & desueta ferentibus astris,
Facta sui similis, quo uerget euntibus annis,
Aurea progenies splendor tuus? & tua uirtus?
Quanta parabis adhuc, iam primo flore iuuentæ
Egregios prægressus annos? dubitabilis ætas
Vt tua sit? nunquam maiora in gaudia Rhenus,
Rem uenisse suam meminit, quam te urbe recepto
Imperijsque suis, atq; hac in ueste superbus.
Si quid eges monitis, rigido hæc pronunciat ore,
Macte ista specie princeps meus, hocq; fauore,
Qua fulges, qui te recipit, seruire negantes
Antè, tibi populi subeunt, gaudentq; uideri
Principe te famuli, quiq; ambitione receptos
Spreuerunt semper dominos, suffragia mittunt,
Accersuntq; ultro. Quis nunc pulcherrime tardat,
Quisue pudor gressu remoratur? age accipe uotis
Non ambita tuis, sed nostro prodita nutu.
Dij tibi felices aditus, felicia donent
Tempora, successuq; iuuent, quos tuq; mereris
Dēt annos, seruentq; animū, quem cū antè dedissent
Viderunt qua fruge foret, tu fungere honorem

Quem

Quem dij, quem fortuna fauet, memoriq; reconde
Pectore, quo uenias, ne ue ulla oblimet inertis
Segnicies luxus, tibi nunc à Cæsare primo
Tradita magnarum curanda negocia rerum.
Nec tibi fœmineos populos, luxu ue supinos,
Commisit fortuna regi, sed fortibus armis
Assuetos Rheni populos, Albimq; ferocem,
Hinc atq; hinc rerum dominos, atrocia regna,
Vesterichosque alacres, & nobilitate uetusta
Elatos Francorum equites, præstantia bello
Pectora, Vettranamq; aciem, ditesque Doringos,
Assuetumq; malis Hessum, tibi Marchia paret,
Si regnare scies, seruitum Saxones ibunt,
Nescia corda iugi, sentis instare periclum,
Si non æqualem dederis te acceßibus istis.
Portio terrarum melior tibi ceßit, habebis
Arma, uiros & opes, regniq; ingentis habenas,
Tu ciuem patremq; geras, unumq; memento,
Non tam his imperiũ populis, quàm exẽpla requiri.
Iam tua uita palam, intentoq; exponitur orbi,
Nec quicquam secretus ages, cunctisq; uidendus
Summa tenes, nullusq; tuum uelare recessus
Errorem poterit, manifesta per omnia pergis.
In primisque sedes, iterum hoc meminisse iubebo,
Exemplo statura tuo, quæ regna capeßis.
Hæc Rhenus. Te flamma tui suffusa pudoris
Occupat ora genas, & si promittere uelles,
Quãta animo concepta geras, quàm magna nolũtas,

Non posset satis esse dies, facere omnia mauis,
Non uis spes augere tuas, promittere non uis.
Hoc unum in uoto est, ut parcius ista gerantur,
Lætitiæ plausus, clamor, concentus, honores.
Tantus es ô princeps, & non uis tantus haberi?
Imò ardete uiæ pompa, uos plaudite ciues.
Nunquam opportunum tempus magis ista poposcit.
Hoc desiderium est, hic est amor, illa cupido,
Hæc sunt uota uiri, uos obuia tendite læti
Brachia in aduentum tanti ducis, omnia strata
Vna reple uulgi facies, longoque moretur
Ordine turba uias, incendite lumina, flores
Spargite, quos non fregit hyems, quæ gramina succò
Nondũ exhausta manẽt, nihil intermittite, quod uos
Lætari doceat: quales, cum sedula mater
Ales abit pastum, iam primo Oriente, reditque
Sera, ferens pleno miseris solamina rostro
Impasti exiliunt pulli, quassantque frequenteis
Aduersum pennis nondum uelantibus alas.
Mutuaque inter se læti certamina sumunt,
Qui primos ferat ore cibos, & colla subaptant,
Matris in occursum, uos haud secus antè cupitum
(Venit enim) captate ducem, solatia uestris
Arripite impleti curis, arcessite dignum
Hoc desiderio munus. Tu te obuius apta,
Fortunisque tuis indulge, occasio præsens
Ne sine dilabi, uersatur, an optime princeps,
Ne timeare times, & non uis esse molestus?

At nobis, nisi te das, illa molestia surgit.
Quid uelles mansisse domi? tenuisse quietem?
Traduxisse annos uitæ musisq; tibiq;?
Non hæc conditio est pro te, tuaq; altera sors est.
Hactenus indultum Musis, placidoq; labori
Priuatim fuerit, tempusq; extraxerit illud
Docta quies nobis, nunc te ad maiora uocari
Fata iubent, splendorq; tuus iam cognitus antè
Quàm uisus notusque fores, illa aula docebat
Infanti reptata tibi, documenta futuri
Tunc quoq; magna dabas, tua planè infantia tantæ
Virtutis præsaga fuit, prima extitit ætas
Indicio, nam cum spacio Lucina peracto,
Depositura foret maturi pondera uentris,
Excepere deæ puerum, nymphæq; frequentes
Collusere tibi, & quas imposuere coronas
Pontificale decus iussere, apicemq; futurum
Signare, & quæ fata forent, nota esse iubebant.
Continuò studijs tu te committis, & artes
Tendis ad ingenuas, nec conuersantibus usquam
Moribus offendi sinis, & cum primum erat ætas,
Omne inquirebas scripti genus, illius ergô
Accisti doctos, submissa fronte magistros.
Historiasq; loqui tecum, ueterumq; uolebas
Acta ducum semper legere, atq; audire paratus,
Quod mores ornare tuos, quod comere posset
Ingenium, docilesque animi protendere uires.
Quid, cum Saxonicus iam lectus episcopus esses?

Erexisti animum subitò, & rerum humanarum
Corde relegasti curas, cui deditus esses
Officio certus, contempsistiq; fugacis
Molle uoluptatis studium, non optio solum
Hæc probat Alciden, etiam tibi blanda libido
Astitit, omne ferens placidum, excluso q; labore
Obtulit illecebras, & dulcis amabile luxus
Commendauit opus, tibi soli uiuere iußit
Extra animi curas. Quid enim, nisi noueris uti,
Diuitiæ facient, inquit? tu præmia tantæ
Arripe fortunæ, satia te dotibus illis.
Dura fuge, hæc ultro uenient, nec te ange, sed aufer,
Quæ potes, hinc tecum, mors qua te accesserit hora,
Finiet omne bonum, ne prætereuntia perdas.
Vtere temporibus, solus qui impleuit hiantem
Delicijs animum, uixit, nec ad ardua duco.
Quam tero, lata uia est: contrà astitit aurea uirtus,
Mandans dura pati, ne fide abeuntibus, inquit,
Vt perdas meliora bonis, non longa uoluptas,
Quam feret hæc ætas, æterna incommoda ducet.
Ipsa quidem in medio cursu fugit, optima secum
Dum linquit, peiora ferens, breue tempus & instans
Exitium uita illa dabit, ne sperne labore
Paruo magna sequi, nam si contempseris huius
Luxuriam uitæ, te amplißima multa sequentur,
Durabuntq; diu: Tu quantum à corpore cedes,
Tantum animi cultus, tantum cœlestia tanges,
Agnoscesq; deos, & ne non præmia ponam,

Glo-

Gloria, fama, decus, nomen, monumenta dabuntur.
Dixerat extemplo durum uirtutis amore
Puber adhuc ingressus iter, melioribus omnem
Aptasti curis animum, quis castius alter
Quàm uiuis loquitur? quis uíc impollutius alter
Quàm loqueris, uiuit? quis cautius ocia uitat
Officij memor? aut quis plus prodesse laborat?
Huc uos ô statuæ (neq; enim uiuiq; uiriq;)
Pontifices, oculos aduertite, uita petatur
Huius ab exemplo, uos in præsentia tantum
Procliues animis uitam consumitis omnem,
Ignari, quæ uos deceant, uenatibus apti,
Ociaq; insami secordia ducere somno.
Vina, dapes, choreas, cantus, bona summa putatis,
Pascitis ingluuiem. Quid, quod dixisse pudendum
Huic foret, at uobis etiam fecisse decorum,
In Veneris ludum, & fœdas descendere sordes?
Non possum laudare bonos, rectumq; tueri,
Non odisse malos, crimenq; incessere lingua,
Horum isti nihil est, in relligione diurnas
Nocturnasq; uices disponit, & anxius ambit
Officio satis esse suo, non ille ministro
Committit peragenda sibi sua sacra uidetis
Admota tractare manu, proprioq; canentem
Ore deûm laudes, cui mens fuit ista priorum?
Cuiúe istud studium? similisq; in rebus agendis
Sedulitas? primo ingressu collapsa tot annis
Restaurare parat, quis munera largus unquam

A pudicitia.

In quorundam luxuriam.

A sedulitate.

A liberali tate.

Dispersit, cum tempus erat? quis úe inter egenos
Profudit tam lætus opes? quis sæpius artes
Affecit lucro? & meritis bene dona rependit?
Surgite uirtutes, experrectæq; reuerti
Vsibus humanis gaudete, immensa merenti
Præmia proposuit, despecta attollite rectas
Ceruices studia, & rediuiuam apprendite palmam,
Inuitat precio uirtutem, & moribus altum
Egregijs aperitur iter, clementior illo

A clementia.

Non fuit, insanam cohibere tenacius iram
Qui posset, stimulosq; suos arcere premendo
Quis uidet iratum? neq; tunc cum audita fuisset
Causa Pepercorni, tetriq; adaperta uenenti

Pepericornus Iudæus tinctus

Scrinia in exitium sibi facta, suisq; uideret,
Pro causa doluit, quòd si miseratio haberet
Hac in fraude locum, potuit uel tollere pœnam,
Vel leuire modo, dic nunc, cur ista recuses
Tam meritò præstata tibi? cur plaudere uulgum,
Et clamare uetes? lætos úe inferre triumphos?
Aut sæpe ista feras, aut sis non talis oportet.
Sis tamen, & sæpe ista feras, tibi carmina promant,
Te festo clamore notent, populusq;, patresq;.
Qui meruit bonus est, non qui detractat honorem,
Tu quoq; natiuum blando moderare rigorem
Affatu, moresque tuos ex tempore dulci
Temperie misces, hinc factum, ut amabilis esses,
Vtq; tuis charus, ne circunstantibus armis
Excubijs úe ducem ciues defendite uestrum.

Hæc

Hoc melius præstabit amor, quis tenderet isti
Insidias animo? aut quæ non iam ingressa rediret
Fraus perculsa retro? nemo est, qui te oderit, omnes
Hi quoq;, quis grauis illa potest fortuna fuisse,
Natura suadente colunt, & si ipse requiras,
Vnde suus sit cuiq; fauor, tam tu ipse fereris,
Quàm uirtus tua causa rei, tua gratia fines
Expaciata suos, extrema per omnia uenit.
Huic aliquem poterat non omninoq; pudendum
Suffecisse loco Rhenus, quot obambulat urbes?
Quot populos? & se uicina à gente tueri.
Venit ab extremo, qui cætera uinceret, Albi
Spectatæ uirtutis honor, suffragia soluit
Ambiguis tua fama uiris, fama illa tuorum
Nuncia parca operum, quam tu maiora ferendo
Ostendis non esse parem uirtutibus istis.
Cui non fama ingens, multorumque ora tulerunt
Dignum aliquid meritis, huic nos æquale feremus?
Mole grauor, rerumq; immensum panditur æquor,
Centum in te linguis, centenoq; ore sonandum.
Vtendum Phœbo, quæq; augent omnia, Musis,
Immensasq; foret uires consumere dignum.
Nunc satis est, celebri uenientem inducere plausu,
Lætitiaq; ornare diem, cantuq;, iocisq;.
Quod nos non pigeat, quod tu feliciter omen
Accipias, possisq; omnes meminisse per annos.
Synceriter citra pompam,
zelo uirtutis.

IN SCELERATISSIMAM IOANNIS PEPERICORNIuitam, Vlr. ab Hut. Eq. Exclamatio.

AD LECTOREM.

Hic diras scelerum formas, funestaq; narrat
Crimina, subtili commoditate liber,
Quæ Pepercornus, recutitæ gentis alumnus,
Sed baptizatus, fecit, & igne luit.

TAnta ne ferali potuit, proh Iupiter, ira
Exciri rabies? aut tam uiolentus ab alto
Transmitti Phlegetonte furor? Nos crimina summo
Viderimus prouecta loco? nos pessima morum
Fœdarit facies? nisi adhuc peiora redundant
Tempora successu, uincetq; exempla priorum
Vltima quæq; dies? quæ non prior audijt ætas,
In nostros cecidere dies. Quid tempora demens
Ætatemq; queror? potuit Germania tantum
Progenerare nefas? te præstantissima rerum
Dijs superis dilecta parens, potuisse uideri
Ferre Pepercornum? Date diræ obliuia famæ
Numina: contingat nostros nescire minores,
Quorum nos puduit, uel si meminisse licebit
Censeri maiora fide. Germania ne sit
Nominis indicium. Quid enim non illa uenenum
Triste, salutiferas inter produceret herbas?
Tum solum dedit illa locum, partumq; maligni

Pi-

Pignoris admisit, tota est Iudæa propago,
Vnde Pepercornus terris inuisus alumnus
Prodijt, huic mater pater est ab origine Iudæ.
Merserat indignum Christi baptismate corpus
Dißimulato errore patrum. Ne tingite ciues,
Si timxisse nocet, ne nostro ascite periclo
Stirpis inhumanæ sobolem, sinite esse sepultam
Nocte sua, diramq; iterum ne admittite gentem
In patrios ritus, poterit seiuncta caueri,
Quæ coniuncta nequit. Nam quo non crimine diras
Polluit iste manus? quid non simulator iniquus
Admisit scelerum? quod úe unquam immanius orci
Prodijt è latebris monstrum? certè omnibus hydris
Sæuius exarsit, Lernæq; ferocius angue
Orbis in exitium scelus hoc, mansuescere toruas
Quod sinat Eumenides, Lyciã quod abire Chimerã
Sæuicia cogat, monstrum quod uincat Iberum
Gorgones, Harpyiasq; necet, sub seq; relinquat
Centauros, Diomedis equos, Scyronq;, Scinimq;
Et crudum Antiphaten, quo nõ Lestrigones ausi
Vlterius fuerint. Siculos mitescere reges
Quod faciat, Phalarisq; bouem. Medea pusillos
Quanquam excarnificet natos, cui prima relinquat
Sæuiciæ monumenta, ad quod requiescere poßit
Fœda Tamurlanis cædes, bellumq; cruentum,
Et tria castra ducis, triplici diuersa colore
Australi horridius flatu, uiolentius omni
Oceano, Adriacis quod se implacatius undis

Colligat in rabiem, sub quod sua robora uimq;
In cumulum dedit omne nefas, Dijs gratia primum,
Dehinc Alberte tibi, per te clementia diuûm
Abstulit hanc terris pestem, atq; in tartara mersit,
Ausus erat temerare deos, uiolare sacrorum
Omne genus, diuisq; manus, & noxia membra
Admoliri, & inaudita nouitate furebat,
Argento spoliare deos, donaria templis
Eruere, incestam sacris opponere dextram,
Et ficta pietate preces fundebat ad aras.
Tractabatq; deum, sancti mysteria panis
Vulnere mactabat, nec adhuc (mirabile dictu)
Cæde furens media, subitò emanante cruore,
Substitit incepto, uidit se effundere passim
Sanguineos riuos, insperatumque liquorem
Irrorasse manus, sensit pro pane uigentis
Indicium carnis, perstat tamen improbus ardor,
Iamq; audet socios in eædem admittere Verpos,
Et mercede nefas, factumque immane pacisci,
In teneros furit infantes, & ab ubere paruos
Auellit fœtus idem, ferroq; cruentat
Palpantem sobolem, uitamq; à labe remotam,
Ignaramque sui: magicas dehinc pergit ad artes,
Fraudibus inuertit populum, uatesq; uocari
Gestit: agit medicum, quod nullo tempore credes,
Accipe posteritas. Vtinam quàm ficta putabis,
Tam non facta canam, potuit promittere uitam,
Præstitit interitum: iussit sperare salutem,

Intulit exitium: præsentem inducere mortem,
Huic medicina fuit, conquisitumq; uenenum.
Quas herbas Medea legit, medicamina Circe
Quæ probat, infernique canis damnabile sputum
Miscet opem morbis. Quid quæ nondũ acta reliquit
In medio cursu scelerum dispergere uirus
Saxonas in campos, quanta est tua Marchia, fontes,
Prata, lacus, fluuios, syluasque, & pascua & agros
Inficere exitio, tibi mittere toxica, fratrem
Morte abolere tuum, totamq; extinguere cœca
Peste domum, tibi iamq; aliquos promiserat orco.
Continuò placitum dijs, finem imponere rebus,
Præcipitem cohibere iram, nebulonis iniqui
Propositum conferre retro, frenumq; minaci
Indere, pernicieq; tua, fratrisque, domusque
Sacrilegas arcere manus: te iure beatum
Felicemque uoco, cui tantam auertere fraudem
Autores uoluere dei, punire nocentem
Tot uitijs, tantisque malis, cui numina donant.
At quantos mors illa metus, quantumue dolorem
Incuteret populis, te tanto afferre periclo
Sors audax uoluit? nobisque horrenda minari?
Scilicet ingenti constant discrimine semper,
Quæ dij summa uolunt, tu uiue tuentibus illis,
Fortunæque tuæ blandas amplectere dotes.
Tu morere, & tenebras lustra pallentis auerni
Prodigiale caput, superos fuge, saltibus erra
Tartareis, Acheronta bibe, in Cocytia merge

Stagna caput, certè horrebit tua facta, tuumq;
Regia Persephones nomen, truculenta ciebis
Vmbra metus, Diti fugient te peßima noctis
Monstra, tenebrarumq; duces: te intrare uolentem
Cerberus arcebit, diros ponentq; cerastas
Eumenides terrore nouo, te portitor undis
Non uolet ire Charon, neq; enim peioribus umbris
Iura dedit Minos, leuius Salmonea plectet
Supplicium, Tytion leuius iram, Sisyphus urget
Mobilius saxum, portabunt Belides undas,
Tantalus esuriem stringet, tot nomina pœnæ
Pars quota facta tuæ? at si uitam intrare receptam
Per Samij documenta senis tibi Iupiter unquam
Permittet, pete Germanis longißima si qua est
Finibus Eois regio, nostriq; recede
A regione poli, careat te Martia tellus,
Quæ cum ferret, erat tam tristi obnoxia fato.

ΟΥΤΙΣ, NEMO. VL

RICHO AB HVTTEN EQVITE Germano Autore.

C. M. R. AD CROTVM RVBIA-num Epigramma de Nemine.

Omen adest placidum, pateant Rubiane penates,
Claude, uenit Nemo: Nemo, reclude uenit.
Quis nouus ignotis hospes succeßit ab oris?
ΟΥΤΙΣ πολύτροπος dicor Homere tibi.

Sum

Sum uafer, & Protheus, ſtruo, deſtruo, texta retexo,
Orbica quadratis, candida muto nigris.
Accedit precio uelut auro lucida gemma,
Artificis chari nobile quod ſit opus.

VLRICHI AB HVTTEN EQ. Germani, ad Crotum Rubianum in Neminem, Præfatio.

ACcipe igitur hoc tibi nihil Crote, quod toto anno ſcriptum à me conqueſtus es, idq; in epiſtola tua, quodam quaſi tragico ploratu uicies repetis quaſi qui nihil eſt, ab eo aliquid extorquere liceat. At nunc ipſum illud nihil ad te mitto, & ita mitto, ut Nemine perferente accipias. Qui cum enim rectius Nihil, quàm cum Nemine uerſatur, cum nemo nihil ſcribat ac faciat? Sed iam noſſe uis, unde hoc repente commentum. Ex peruerſa Crote hominum opinione, ſimul tua tragica epiſtola. Nam ut tu nihil à me ſcribi quereris, ita ſunt homines, qui ſi quid ſcribas, etiã aut facias, & illud ipſum, & te autorem nihil dicant. In ea tempora incidimus, in id uulgi iudicium ſuccumbimus. Si adhuc quid ſibi hoc uelit Nihil, dubitas, priora reuolue, ac quædam ut contigerunt, in memoriam reuoca. Periculũ feciſti mecum, quid mereantur, qui optima ſtudia ſtudioſiſſimè ſectati ſunt. Nempe ut nihil didiciſſe, & ipſi homines nihili dicantur propalam. Qua in re clementiores adhuc iudices expertus es, quàm ego, qui poſt tot annorũ meam per Europã

pero

pere grinationem, tot aditis periculis, tot exhaustis calamitatibus, nullis non erumnis adflictus: cum tandē ad meos redijssem, quid aliud sperare debui, quàm homines longa mei expectatione fessos, aduenienti occursaturos, obuijs manibus excepturos, blanda aliqua præfatione salutatum amplexaturos, gratulaturos incolumitati meæ, probaturos, quòd cum patrijs Musis redijssem in gratiam? At paucioribus curæ fuerunt hæc, quàm reperti sunt, qui me accusarent etiam. Iam enim fama præcesserat, quibus studijs quam operā impendissem. Itaque reprehendere omnes, ac frustra laborasse, & tempus perdidisse dicere, atq; eò omnium tandem calculi coniecti sunt, & quod uix credis, in patria miser inueni neminem æquum studiorum meorum iudicem. Illū uide Neminem, qui hoc de se dic:

Nemo refert studijs præmia digna bonis.

Nō aliter, atq; ille ego sim decoctor filius, qui ad porcorum haras, & comessandas siliquas relegari debeā. Aut non melius sit, ita studuisse, quàm studuisse omnino nihil. Nam ex æqualibus, qui neq; literas, neq; natare didicerunt, nihil offendebant. Adeò tutius est, non studere, quàm sic studere. Et hanc quidem impegerunt mihi culpam, ut esset, quòd duritiei suæ prætextum obtenderent. Tuncque primum diuagatus est rumor, nihil didicisse me, ac esse nihil, magnis ille quidem autoribus. Nam ubi in illos quis inciderit iactatores leguleos, aut ad hos appulerit supercilios theologistas, non dico, quomodo posset scire aliquid, hoc

dico

dico, quomodo posset esse aliquid? Diogenes Cynicus ultro nihil scire uult post eũ, qui se omnia scire profitetur, at esse aliquid contendit. Id quod ego adhuc cõsequi tot laboribus non potui. Nam cum inter meos uersor Equites, haud numeror, ex istis uero indoctis doctis nemo me agnoscit. Ac nescio, an alicuius eorũ umbra sim, ita planè nõ sentio ipse me, quoties sua studia prædicant, suam eruditionem, sua ingenia ostendunt. At uero in me quicquid est, omni contemptu cõtemptius iudicant. Tunc iactantur ab alteris Felini, Baldi, Bartholi, Iasones, Accursij, Speculatores, ac id genus doctorculi: ab alteris uero subtilis Scotus, Seraphicus Bonauentura, bis sanctus Thomas, unicè magnus Albertus, ac irrefragabilis quidam, cuius mihi nomen per incuriã excidit. Et à tantis Magistris, tanti discipuli, ab istiusmodi fontibus hi riui sunt, ut sciat aliquis, ad Scotum quantum nobis restet, qui interfectatores illius tam nihil scimus, tam sumus inerudi tè eruditi. Quãquam tu solitus sis imitari, qui nos olim docuerunt Coloniense, & syllogismis fulminare, ac si quando prouocaris, alacriter congredi, opponere, assumere, respondere, conclusiones sustinere bis triginta nonnunquam, arguere pro & contrà, quem illi non statim probant, quòd non formaliter cõsuis argumenta. Quod genus est illa quæstio: An acutius aliquid uidere potuerit, raptus in tertium cælum Paulus, quàm in sua cella, cum tantis speculationibus indormiret aliquando Doctor sanctus, acutè, ut mihi

uidebatur, per te disputata, sed ab illuminatis Thomistis, q̃ soli cerebrũ habẽt, discutienda. Nõ magis orto sole euanescunt minima sidera, quàm nos Crote quantocunq; cõuentu: quodã se istiusmodi farinæ clamoso tripudiatore ingerẽte: obscuri fimus: Sed audi meũ in hac re consiliũ, postquã mihi stomachũ mouerũt isti olim superbi legum dispensatores, fateor, esse aliquid contendi, et eò studiũ contuli meũ, ac dispercam si ulla alia ratione, quàm uel ut meorũ desiderio satisfacerem, uel ipsum illud, quantũcunq; nugatoriũ est, quo isti triumphant Bartholistæ, assecutus, accèptoq; doctrinæ titulo, quo decipi uulgus amat, ab illis postea audiri mererer, quod aliter p̃ contemptũ non fiebat. Doctorẽ .n. esse oportet nunc, doctũ neq; necesse est, neq; omnino aliquid est. Quãta literarũ iactura hoc facies, aiebat aliquis? Nulla respõdi, quippe impẽdendum aliquid succisiui tẽporis, dũ istas illiteratas literas, atq; hãc doctrinarũ fecem iactare discã. Nã intelligere nullo negocio licet. Sum .n. planè in ea opinione, ut qui in his studijs superbire sciat, & pro tẽpore ingerere se audeat, eũ consummatum hoc tẽpore iure consultũ existimẽ. Quod institutũ quid refert, quomodo postea immutauerim, scribere, cũ tu illi interfueris Senatui, quo istud factũ est consultũ? Ad Bartholistas redeo. Tales sunt, qui nunc in auribus principũ quasi sphõgiæ hærent, quibus consultoribus Respublicæ gubernantur, ad quorum præscriptum omnia domi, forisq; geruntur, qui soli docti sunt, soliq; doctrinæ

pre-

precium inueniunt. Quibus cum suum isti diuites aurum commune habent, quos solos benignius salutant. Ac nescio an uspiã manifestius stultitiæ suæ documentum, quàm in demerendis rabulis præbeant. Quos cum reddunt purpuratos, ipsi aliquando egẽt inepti homines, quasi non melior fuerit Germaniæ status, antequam isti inuaderent, tot uoluminibus instructi, tunc quum plus ualerent hic boni mores, quàm usquam scriptæ leges. Aut non adhuc tanto quælibet ciuitas prudentius gubernetur, quanto ab ea longius absunt hi Glossatores. Ac illos mihi intueatur aliquis apud Balthicum mare Saxones, quàm incunctanter, ac nulla iniuria ius dicunt, non consultis quidem illis, quos dixi leguleis, uerum suo illo ab antiquis more, quum nos hic uiginti annos, inter triginta sex doctores pendeamus. Qui quomodo persuadebunt mihi doctrinæ opinionem, quum tot annos, tot perlectis uoluminibus inuenire quid iuris non poßint? Obscurè igitur intelligimus, quis alat istas in Germania contentiones? istas discordias? quis intestinis bellis connectat principes? rebus publicis tumultus inuehat? oĩa seditionibus impleat? Ex his quendã noui insignẽ asinum, quòd mihi uidetur: quòd ipsi, iureconsultũ, qui aliquando simul audientibus nobis Papiæ illud iuris columen Iasonẽ, cũ is prælegeret, ac multis citatis autoribus subijceret, et Alexãder de Imola, ac sequaces, cõuersus ad proximũ quæsiuit, quis ille esset sequaces: putabat enim ex Glossatoribus uni sequaces nomen

esse

esse. At idem ille, qualis qualis est, nuper ex Italia redijt, libris ac uestibus splendidè instructus, et inter doctores numeratur, ac me, qui melius capio Iasonē, post tergum relinquit. O mores, ô studia, ô temporis huius capita, quim istas abstergimus nebulas, & aliquando uerũ intuemur? At ualde interim ex suis sibi isti cõmentarijs placent, studiũ alioqui tractabile omni caligine inuoluẽtes, ac Cimmerijs planè tenebris obscurius reddentes. Quorũ ut densiorẽ quis nebulam, atriorẽ noctẽ libris Digestorũ admolitus est, ita pro claßico autore celebratur, et in admiratione habetur. Cuius.n. lucubrationib. nõ anteferturAccursius quidã, ex cuius tenebricoso ingenio hic offusus est iuri ciuili fumus. Nõ iniuria igitur miserebat te mei olim, cui ut studiosus eßẽ, ad huiusmodi studiũ diuertendũ erat. Tam inconsulta sunt hominũ super humanis studijs cõsilia. Quare, ut mihi uidetur, q̃ ingenuo sunt animo, ac rectè libero, oĩa malint, quàm in has se demittere sordes. Hæc ego accusare in illis, quanq̃ iniquißima sunt, non ausim, nisi repetita bis ueniæ petitione, præfatus, dicturũ me, quod nemo sentiat, ac nihil dicturũ. Sumus enim nihil Crote, nec prius desinimus nihil esse, quàm aliquam nobis in hac Comœdia personã assumamus, quanquam nisi obessent mihi literæ, poteram satis reuerenter Eques Germanus salutari, & tu sacerdotis appellatione satis honoratus eras: nisi & præter equestrem dignitatem esse putaretur, literas discere, & penitus nihil saperent, qui se ualde

hoc

hoc seculo putant sapere. Hi sunt, qui cũ literas ignorent, consilium tamen nobis dant, quid discere oporteat, et studiorum censores agunt, quorũ à titulis præmia metiuntur, sic ferè quærentes: Quid est iste? quibus respondere licet: Doctor est, Magister est, Baccalaureus est. Aut si nullum istorũ attigit, nihil est. Nuper ex quodam meorum quæsitũ hunc in modũ est, ab istius professionis homine, curioso illo quidem salutandis amicis, qua me honoris præfatione salutari oporteat. Tum meus respondit, nondũ aliquid esse me, hoc uolens scilicet homo simplex, nullo insignitum titulo, quod satis fuit huic salutatori. Hodie enim non qualis quisq; sit, sed quo uocetur nomine, quæritur. In casu ac pecunijs omnia insunt. Virtuti propriũ est nihil. Illud prob Christe nihil, quod nunc optimus quisq; uocatur. Cur igitur sapere quis uelit, quando sapere extrema hoc tempore dementia est? Hinc mihi hoc Nihil excidit, atq; hic prodit Nemo, nullis ille quidem calumnijs, nullis obnoxius contumelijs, plenus fiduciæ, qua elatus, hoc audet nihil in lucem adducere, impunè credo ad omnes euentus. Quia qui nemo est, quid obstat, quo minus loquatur hoc suum nihil? Quod si non probabunt, qui uocantur Theologi, suo more fecerint, quanquam probabunt fortè, cũ aut nihil eis placeat, aut quædam magis, quàm nemo putet nihil. Quibus aliquid meum nonnunquã ostendens: Ecce uobis nihil inquio, ab eo, qui per uos nihil est. Ibi tum accuratè legunt, inuestigantes, num

hæresim sapiat. Et statim si quid minus placet, quan-
quã sit hoc nihil, enotant. Inde in articulos errata di
gerunt. Sunt. n. pensiculandis hominũ sermonib. a-
cuti ualde iudicij. Vbi si quid offendit, frontem con-
trahunt, labra exporrigunt, nasum suspẽdunt, nõnun
quam ad ignem, ad ignem ingeminant. Quam collu-
uionem mouere tutum non est, non magis, quàm cum
sentibus luctari, aut præsens aliquod ultro sibi malũ
accersere. Apud hos cautũ est, ne quid temere loqua-
mur, metuendum genus hominum, ac fari omnia soli-
tum, audire nihil. Quis liberius .n. carpit uitia nũc,
quàm isti sapiẽes? Imò quis petulantius quoquo uult,
inuehitur? Si quæras, ipsi interim quomodo uiuant,
pallium & cucullum ostendere satis habent. Quæ si
nihil dicas, ibi tum in articulos tuum referunt nomẽ.
Probarunt tot, inquiũt, Pontifices, ac priuilegia pro
ferunt, tibiq; negocium faciunt, malum minitantes,
ni palinodiam occinas. Lõgum esset scribere tibi, quo
ties illis iã displicui, donec cõsensi in hoc Nihil, quod
quia nihil est, nihil ab illis fit, & omnino concessum
est nihil dici, aut neminem dicere, hac lata lege: Nihil
dixeris, aut nemo dicere audeat. Atque ita me tueor
prudentius, quàm ubi quendam olim ex his crabro-
nem uehementer irritaueram, cũ dixissem: Nihil nũc
scire Theologos, quod nõ discere quis uel sine præce
ptore possit. Quod meũ piaculare uerbũ, quo dij bo
ni supercilio exceptum est? Quæ conclusiones, quot
syllogismi, quanta Enthymemata secuta sunt? Obtun-
debar

debar infelix. At ille iratus dominus, uirgines deprecatrices poscere uidebatur, ut mihi propitius esset. Cui omnia concludenti, omnia concessi, herbã (quod aiunt) porrigens, in hoc etiam assensus, ut supra uulgarem ipse hominum sortem, numinis loco sit, ego nihil sciam, nihil sim. Quodq; doctus ipse fulgeat, quasi splendor firmamenti, ego in his delitescã tenebris meis, ubi loqui nihil liceat. Capnionem ab animi magnitudine omnis admirabitur posteritas, qui descendere cum his in aciem, ac pugnam capessere ausus sit, & mira hoc felicitate, præter omnium opinionem. Qui siqua forte laborasset, tunc cum multis commune mihi fuisset hoc nihil. Oĩa debentur Maximiliano principi, qui se furentibus opposuit, non passus euerti optimum uirum, & de hoc imperio suis consilijs, suaq; industria sic meritum. Secus Theologistæ Parrhisienses iudicarunt, sua maxima infamia, suoq; dedecore. Quod recordanti mihi subit, quid in Christianam religionem inuexerit, hæc trecentorũ annorum Theologia. Postquam enim discessum est ab illa ueteri & germana, tum uero cum studijs declinauit simul religio, ac illa increbuit, omniũ pestiũ pestilentissima superstitio, quæ sua caligine ita uerum dei cultum infuscauit, ut nescias, Christi sint, quæ obseruas multa, an alicuius noui dei, qui hoc sibi uendicet ultimũ mundi tempus. Habent tamen pessimorum librorum magnos aceruos. Ac dum istos negligunt antiquos, & rectè doctos autores, in his uersantur nugamentis, &

in scripturarum sordibus, non secus ac in luto scarabeus delitiantur. Neq; tunc uilius quid nostris studijs tractare se putant, quoties pro concione sordidam aliquam fabulam, aut anile deliramentum, uulgi credulitate abusi, deblaterant, Qui cum tales sint, quicquid tamen extra suam farinam est, contemnunt ac aspernantur. Cumq; omnium insulsissimi sint, eos tamen esse se contendunt, quibus semel Christus dixit: Vos estis sal terræ. Quare et sapientes credi uolunt, ac apostolis quicquid olim datum est, iure hæreditario ad se trahunt, & in cõpellationis præfatione, Magistri nostri mira & inaudita ambitione dici gestiunt. Fortè quia confessiones audiunt, ac consilia Regum et Principum ediscunt. Deinde muliercularum quoq; secreta nimis auidè rimantur, ut se idcirco plus omnibus sapere credant, & non immeritò à discipulis Magistri, à filijs patres (proh pudor) salutentur. Qua de re facetissimam tu olim ad me epistolam. Sed quid ego hæc, quasi hoc tempore Theologi non sint? Minime. Sed quòd tam nihili homines in Apostolorum locum succedant, in eius rei indignitatem aliquis nemo exclamare potest: omnia inuerti, omnia confundi et misceri, omnia secus, ac sint, haberi, Nihil sibi constare, Neminem aut à morum integritate bonum, aut ab eruditione doctum iudicari, sed alterum cucullo ostendi, alterum titulo utcunq; acquisito exprimi. Tu Crote qui acutius omnia intelligis, quid uidisti tẽpestate nostra Christianum magis, quàm illos nuper Erasmi labores

bores, aut quid contrà magis inuisum his Thomistis? ut susurrabant, ut fremebant, ut stringebant supercilia, ut nasos suspendebant. Ilia rumpi his credas, quoties tale aliquid uiderint. Ita alienis uirtutibus inuident peßimi homines. Ita consciẽtia ignauiæ suæ cruciantur nebulones. At tunc strennui sunt, quando in suo illo regno, publico suggesto, apud indoctum uulgus, ac leuißimi sexus turbam declamant. Ibi lacerãt, ibi inuidentiæ suæ stimulos exerunt, ac illud eiaculantur terribile fulmen, & mirũ euomunt uenenum, non in eos, in quos necesse est, sed quos sibi molestos esse ubilibet contigit. Alexandrum sextum nostra memoria Pont. Max. dixisse ferunt, cum potentißimo rege aut principe malle sibi bellum esse, quàm cum uno ex fratrum mendicantium ordinibus. Omnia enim habere eos, qui nihil habent, ac inexpugnabile id esse hominum genus, quacunq; certandi uia adoriaris. Nescio acutißimè hæc considerem, an uerò dolore meo latius efferar, hoc certè puto, neminẽ non ciuiliorem reperiri uictorem, si quos disputando, concludendo-q; uinci contigerit, quàm hos præposteros Christi apostolos. Quid enim crudelius unquã sensisti, quàm ubi quempiam arripuerint eorũ, quos hæreticos uocant? Tunc quippe omnia Christo, præter unam misericordiam concedunt. Et quod illi proprium maximè est, hoc tum longißimè ablegant, quinetiam adeò insolentes se gerunt, ut nemo non damnari malit, quàm ab his consequi ueniam, qui cum oppugnandis nobis

quorum patrimonijs aluntur uentricosi hypocritæ, adeò feroces se exhibeant, nullus tamen reperitur, qui religionis zelo in Turcas eat, fidem Christi prædicaturus. Aut illos saltem in medio nostrum Bohemos ut erudiat, quos illorum uitio secretos ab Ecclesia, Pius secundus Pont. Max. non obscurè queritur. Profecto ubi nihil opus est, ferociunt, ubi faciundum periculum, ibi se subtrahunt profugi pugnatores, ac quietem allegant, quæ debeatur religioni. Ad quid igitur istas putem conferre scholasticas disceptationes, tot uijs, tam diuersis inter se opinionibus cõcinnatas, unde hæc nomina, hos usurpant titulos? Hieronymus à piscatoribus sumi, quod fidẽ Christi astruat, oportere credidit, & Dialecticã abesse iußit, quam si his ademeris, quid reliqui facies? Iterũ igitur dico Crote, qui ingenuo sunt animo, ac rectè libero, his faciendũ hoc tempore, ut oĩa malint, quàm uulgi inseruire iudicio. Ita paßim erratur, ita nihil sumus, ob id, quòd boni esse studemus, ac nihil scimus, qa aliquid recte scimus quod si tibi uidetur, & in ea es sententia, ut magnopere nõ cures, quid istiusmodi pbent iudices, perpetuò erimus nihil, ac suauiter interdũ ridebimus hominum mores. De me sic habe, certum est, non obsequi his, qui me doctorẽ esse uolunt, quorũ proximè quidam: adde, inquit, nomen rei. Si possem respõdi, rem postea nomini. Nec illos moror, qui mihi nulla uirtutis opinione, sed precio quæsitis titulis præferuntur. Ac libenter nihil sum, ut ne in hoc impingam ambi-

tio-

tionis studium, & uel latum digitum ab instituto discedam meo. Tu interea Crote, quandoquidem et ipse mecum nihil es, hoc nihil satis habe, quod pellegas. Et illud tecum cogita, eum quoq; qui nihil faciat, aliquãdo facere aliquid, & qui nihil scribat, scribere multũ sæpe. Vale, & me ama, à quo te immortaliter amari nõ obscurè sentis. Dehinc hunc audi Neminem.

NEMO LOQVITVR.

Qvisquis ades, si forte nouos mirabere lusus
Ne rigida faciles accipe fronte iocos.
Sed qua læta probis ageres conuiuia mensis,
Quoq; decet uultu res uariare graues.
Inter se mutata placent. Non omnibus idem
Est locus, haud poscunt omnia tempus idem.
Et quandoq; leues ueniunt ad seria risus,
Quo iucunda graueis temperet hora dies.
Este alij tristes semper, semperq; seueri,
Qui sapis, alternas omnibus adde uices.
Scilicet hic modus est. Tu qui mea nosse laboras
Fata, Cleanthæum pone supercilium.
Qui loquitur, Nemo est, loquitur Nihil, at tibi si qd
Insonuit, dicas Neminis esse Nihil.
Sum Nemo, uiuam, nec ne, cui dicere promptum est?
Non etiam proraptum est mihi, uiuo tamen.
Nemo agitat uitam, tu quid te contrahis? an quod
Si uiuit Nemo, uiuere non potis es?

Ille ego sum nemo, de quo monimenta loquuntur,
Ipse sibi uitæ munera Nemo dedit.
Nemo fuit semper, Nemo isto tempore uixit,
Quo malè dispositum dij secuere chaos.
Ante ortum Nemo est aliquis, post funera nemo,
Nemo quid inuito fertúe facit úe deo.
Omnia Nemo potest. Nemo sapit omnia per se.
Nemo manet semper. Crimine Nemo caret,
Nemo fugit mortem, Nemo est à fine superstes,
Nemo exors certi nascitur interitus.
Nemo animos nouit superûm, sensusq; latenteis,
Nemo quod est, quod erat, Nemo futura tenet.
Nemo salutiferas præter seruabitur undas,
Nemo fidem Christo non habet, & bonus est.
Nemo sorte sua uiuit contentus, & intra
Fortunam didicit Nemo manere suam.
Nemo sacerdotum luxus, uitamq; supinam,
Nemo audet Latium carpere Pontificem.
Nemo in amore sapit, Nemo est in amore fidelis,
Nemo alij propior, quam studet esse sibi.
Nemo uagas numerat stellas, ipso ordine nouit
Nemo, quid in terra, quidq; feratur aqua.
Nemo potest dominis simul inseruire duobus,
Nemo quod, & quoties expedit illud, habet
Nemo bonus, Nemo est ex omni parte beatus,
Nemo simul potis est omnibus esse locis.
Nemo omnes posita Germanos lege coërcet.
Nemo iugum Rheni gentibus imposuit.

Ne=

Nemo per innocuos mores emergit, & aulæ
Sontica prosequitur munera Nemo pius.
Nemo Quirinalem dominatu liberat urbem,
Nemo laboranti subuenit Italiæ.
Nemo feros bello Turcas adit, & bona curat
Publica priuato munere Nemo magis.
Nemo certa sequi, sibi conscius optima legit,
Nemo audet subitis rebus habere fidem.
Nemo errore uacat, Nemo sibi cauit ubiq;,
Nemo placet cunctis, inuidiaq; caret.
Nemo quæ placeant stupido facit omnia uulgo,
Nemo refert studijs præmia digna bonis.
Nemo uoluptatem nullis languoribus explet,
Nemo renascentem sedat auaritiam.
Nemo est in terris Germano Cæsare maior.
Nemo deum pariter diuitiasq; colit.
Nemo uagam stabili fortunam temperat orbe,
Nemo graui casus sub ratione leues.
Nemo quas congeßit opes, secum auferet istuc,
Mortuus unde semel Nemo redire potest.
Nemo maris guttas, numerumq; recenset arenæ,
Nemo dat æstiuis nomina pulueribus.
Vertere Nemo uices, infectum reddere factum,
Nemo potest lapsos huc reuocare dies.
Et quæ præterea numero foret ædere longum,
Quid ualeat Nemo, Nemo referre potest.
Vna meum censet leue turba domestica numen,
Seruorumq; cohors, & puerile genus.

Horum est in famam tam prona calumnia nostram,
Vt nihil exoptent, quàm mihi obesse prius.
Nil moror hæc, ὀλίγος τε καὶ ἀνόνητος καὶ ἄκικυς
Opprobrio infelix ulteriore petor.
Atq; ubi peccarunt, neq; enim peccasse fatentur,
Transponunt labes in mea terga suas.
Quicquid ab his culpæ, quisquis cõmittitur error,
Si quæras, quis agat, omnia Nemo facit.
Amissum est aliquid, Nemo abstulit, excidit aurum,
Nemo habet. At nullas Nemo cupiscit opes.
Quid quòd fraude mihi grauidã obtrusere ministrã
Tot famuli, quanquam haud tacta sit illa mihi?
Quærendus puero pater est, Nemo obtigit. At tu
Si me audis, alium stulta require patrem.
Ecce infracta iacent hesterno uasa tumultu,
Olla, lebes, patinæ, uitreolusq; calix.
Et uariæ signis phialæ, Samiumq; toreuma,
Et carum infausti cupula pignus heri.
Oenophorumq; capax, & aduncæ cantharus ansæ,
Sympiniumq; ingens, Herculeusq; scyphus.
Fracta iacet lampas, iacet unguentaria pixis,
Quæq; grauis gelidas urna ministrat aquas.
Sustulit hæc eadem fragileis insania testas,
At cocus ad solidum læsit ahena focum.
Læsit & euersos tripodas, tenueisq; quadrantes,
Neglectusq; suo follis in igne perit.
Abiectumq; alio pistillum, abaciq; reuulsi,
Nec relocata suis stannea uasa locis.

Et quærenda diu ruptis cochlearia thecis,
Fuscinaq;, & cœcæ cura lucernæ uiæ.
Decidit excussa ferrata sagitta pharetra.
Ante suos manant uina refusa cados.
Hinc cyathi, tinæq; graues, & aquatilis obba.
Illinc Hetrusco seria amata Numæ.
Tympana rupta iacent, iacet amphora, nec tenet aptè
Puluerulenta suos bibliotheca libros.
Cum sparsos hinc inde colum, fusosq; uiderem,
Hæc etiam, dixi, culpa futura mea est.
Vos quoq; culter, acus, radij, subtegmina, forfex,
Turpiter irata sparsa iacetis hera.
Ebria securis domini petulantia seruis
Nil curare domum suadet, opesq; domus.
Quos petulans inter prostrato ancilla pudore,
Nonnihil in rerum perditione facit.
Ipsa penum struit, & patinas inducit opimas,
Quæq; sibi sollers multa reseruat herus,
Vina dehinc promit, dehinc rarũ quicquid ad usum (est,
Arte cibi uarium docta parare genus.
Eruitur simili tucetum nobile furto,
Crassaq; furtiuo sumina tosta foco.
Hic bibitur totas mensura æquante lagenas,
Lætaturq; meo libera turba malo.
Et uaria exequitur sub multam gaudia noctem,
Gaudia non uno perniciosa modo.
Multa refringuntr, titubanti cum pede seruus,
Post epulas, & post pocula strata petit.

Pres-

Preßit in ollatum grauidum caput ille caminum,
Nec cubitum lapsi pulsa fenestra tulit.
Semisecluſa canis ſubijt cellaria, & illic
Quod ſupereſt, auido deuorat ore cibi.
Hæc quoq; depoſito uenit fortuna caniſtro,
Et quæ præterea diruta multa iacent,
Ipſe domum tandem rediens herus, anxius ambit
Diſcere uaſtatæ ſingula damna domus.
Quo ſeriem quærente mali, tegor indice primo,
Efficiorq; omnis criminis autor ego,
Criminis autor ego, quid enim quis dicere poſſet,
Confeſtim breuius, quàm mala Nemo facit?
Quîs ego pro meritis etiam benefacta rependo,
Illorum ſubiens corpore quodquod onus.
Et ſi quid mandauit herus curæ atq; laboris,
Ni faciam infelix omnia, Nemo facit.
Nemo curat equos, Nemo huc diſcurſat & illuc,
Pro domino Nemo eſt anxius, atq; domo.
In me tuta fides, audet committere lecto
Neminis, uxorem qui cupit eſſe probam.
Non tamen eſt mirũ, quenquam hos inuadere mores
Non adeò exemplo, qui facit iſta, caret.
Multa licent multis, poſtquã ſemel hoſtis Vlyſſes
Suppoſuit ſceleri nomina noſtra ſuo.
At ſi tu dederis ueniam mihi candide lector,
Quòd fuerit numium fabula longa, uale.
Οὔτις ἔλεγε. Nemo dicebat.

VLRICHVS HVTTENVS
Eq. Iulio Pflugk Eq. S. D.

VT tu quidem ualeas, multorum crebrò ad nos relatione perfertur. De statu Germaniæ nescio an identidem tu intelligas. Proinde breuiter accipe: Primũ uarij sunt hic motus, uerũ ita occulti, ut uix aliquãdo suspicione aliquid assequi liceat. Deinde maximas res agitans, plurimos hoc tempore Germaniæ proceres huc protraxit Cæsar. Si procedit quod ille molitur, nihil adhuc pigere nos debet horum temporum. Sin aliquid intercedet, quo minus expergefiat Germania, ille quidẽ merebitur gratiam, qui hæc conatus est, uerum nos aut in fatum, aut in illam Homericam Aten reijciemus culpã. Certè iucundissimũ hic omnibus spectaculũ ob oculos uersatur. Tot principes, iuuenta simul & corporis specie præstãtes. Tanta Comitum & Equitũ multitudo, flos scilicet Germaniæ nobilitatis, ut qui hos intueatur, formidandos magnopere Turcas non putet. Quòd si hodie tantum cerebri est Germaniæ, quantũ uiriũ, ausim orbi terrarum minari iugum. Faxit Deus Opt. Max. ut sibi consulant hi, à quorũ cõsilijs oĩa pendent. Quid aliud optare enim debemus, quàm ut nũc maximè agnoscat se Germania? Agit hic Legatus summi pontificis, in cuius mandatis est, excitare in Turcas bellũ. Quã causam egit oratione, quæ qualis sit, uidebis, ubi ædi tam ad te transmisero. Exigitur uiritim pecunia, quã in expeditionem insumere oporteat. Quid admissuri

Card. Caietanus.

sint

ſint Germani, adhuc in deliberatione uerſatur. Si tẽpus eſt, ut nos dij reſpiciant, neq; Ducum eſt Iuli, neque militũ inopia. Ipſe mihi optima propono, & ſpẽ concipio non exiguam. Fœcũdus eſt hic conuentus. Nam & Regem Romanorum parturit, & meis literis ſac ſua uirtute clariſsimũ per Germaniã principẽ Albertum Archepiſcopũ fecit Cardinalem, ac Chriſtophorũ Brunſuigium in Archepiſcopatũ Bremenſem extulit, & Caſimiro Marchioni ex nobiliſsima Bauarorum domo nuptam cõciliauit. Eadẽ ſi bellũ Turcis inuehet, tũ felices nos, quibus neq; prius, neq; poſterius naſci contigit. Mea ad Principes exhortatio non æditur in lucẽ, quòd inſunt quædam liberiora, quàm ferat hæc ætas. Noſti quã in partẽ ſolcam παῤῥησιάζομαι. Sed nõ eſt ingenuitati locus. Petit & contra irruptiones Tartarorũ auxilia Polonus per legatos. Ac quiddã eſt etiã Gallis negocij. Tũ ab Hũgaris orator eſt Hieronymus Balbus, quod mihi ſummè placet, minori apparatu noſtri, quàm ſoliti ſunt alijs conuentibus, agũt, ſiue ob annonæ difficultatẽ, ſiue quòd in multis mihi reſipiſcere Germania uidetur, quanq; eſt adhuc mira ueſtiũ luxuria, à Gallis ſumpto exẽplo quos præter patriũ morẽ æmulari in hoc certamus, et ſtrenuè bibitur, nondũ ſanitatẽ accipientibus, qui rectis ſempermonitionib. reclamare ſolẽt. Vt bñ agantur oĩa, obſtinatiſsimè ſtudet Cæſar. Ipſe mihi negociũ his dieb. feci, diſcurrẽdo, ambiendo, apprehendendo, dũ optimũ quenq; ex aulis principũ in partes Capni

omis trahã, quanquã huc ultro illi cõcedant, nec iam opus sit parare nobis amicos. Ipsa causa emortuæ similis est. Nihil .n. auditur, nisi quòd Comes Hermannus de Neuuenar Hogostrattum fertur Colonia expulisse, propter impurũ nebulonis figmentũ, in quo hominẽ prosciderat. Ex Gallia scribũt, Faber, Budæus, Ruellius & Copus, nihil istic esse Capnionis noĩe celebrius, et Theologistis ademptã omnem penitus spẽ. Vos in Italia quid agtis? Aut quod ipsi quoq; incendium constatis? Sed ad illud iterum uenio principum decus Albertum. Quod præter Romanum morẽ factum omnes putant, gratis illi misit Galerũ & purpuram Leo. X. tam ob persuasas sibi multorum commendatione hominis uirtutes, quàm ut gratificaretur puto Cæsari, qui Alberto mirè fauet. Damus hoc pietati ipsius, & propenso in bonos omnes studio. Kalẽdis Augusti Galerũ sumpsit ille, apponente Legato põtificio. Iucundum fuit id spectaculum, maxima nobilitatis frequentia facto sacro, ac ingenti omnis generis hominum circunfusa multitudine. Ipse Cæsar à sacris domum reduxit Albertũ, deinde munera misit, regiam lecticam, equos, & tapetes operẽ simul ac materia admirabiles. Iuxta hæc Leonis Maximi donum, gemmis, auro ac margaritis intextum pileum, & ensem deaurata uagina. Sequentibus uero aliquot diebus Magnates officium fecerunt, ad illum uenientes, congratulãdo ob noui honoris acceßionem. Deus bene uertat, ac spem foueat meã. Neq; enim potest ille

non

non charus esse dijs, cui tantus breui tempore honorũ cumulus, non ambienti etiam sese offudit. Timothei fortunã dixeris, de quo illud aliquãdo diuulgatũ est: ἐυδοντι κύρτος ἀιρεῖ. De me sic habe. Adhuc in Alberti Principis aula exerceor. Scripsiq; per negocia, quantum licuit, præter Orationẽ ad Principes exhortatoriam, Dialogos aliquot, inter quos est De uita aulica, non omnino contemnendus arbitror, quem nunc edere paro. Nam hic composui Stromeri medici instinctu, qui me singulariter amat, & quem ego uicissim unicè colo. Nemo reuixit, & ad Crotũ mittitur. Super quo nugamento debes Italorũ iudicia explorare. Erasmus Basileæ agit, noua iterum cudẽs. Philippus Melanchthon præter ætatem eruditus iuuenis, Vuittembergã accersitus est, nõ illiberali salario Græcas literas ut doceat. Quò etiã, qui Hebraica prælegat, quæritur. Thomas Anshelmus Haganoui Plinium una cum indice typis excudit. Magna est studiosis omnibus cũ barbarie lucta, spe ingẽti fore, ut peruincamus, ac literæ uigeant. Iam enim despectius audiuntur magisterculi, et recta se ubiq; studia excitãt. Hæc uolui, ne ignorares. Ipse aliquid ad me uicissim ex Italia, præsertim de statu Bononiensi scribito. Crotum commendo tibi, ut pro tua in doctos homines benignitate obserues. Præterea ex me salutabis istic Io. Marian Iureconsultum, & Sauromanum Silesitanũ, cum alijs omnibus nostris. Ipse optimè uale, ac me ama. Augustæ Vindelicorum. IX. Kalend. Septembris, Anno. M. D. XVIII.

VLRICHI DE HVTTEN, EX EQVESTRI ORDINE

Adolescentis, Carmen emunctissimum, mores hominum admodum iucundè complectens, cui titulus: Vir Bonus.

CErne nouos iultus, rerum studiose nouarum,
Et facili monitus accipe corde meos.
Sæpe mouent melius propiori cognita uisu.
Inspice, sunt tetricis ista uidenda uiris.

Multa uident oculi, sed ad interiora remittunt,
Opportuna magis lumina pectus habet.
Rara mihi facies, & solis cognita iustis,
Cura quibus ueri est, iustitiaeq; calor.
Nouit Aristides, nouit uir fortis Vlysses,
Et uos Socraticae candida turba scholae,
Cunq; Catone, bonus Nasica, & Celius ingens,
Et Cicero Latiae gloria prima togae.
Prudentes nouere uiri, rudis omnia damnat,
Dum damnat, uitae est nescius ipse suae.
Si qua rudi tamen est discendi cura, cupitq;
Excolere ingenuum nobilitate animum,
Ponat opus uitijs plenum, & nitatur in illud,
Vnde decus longae posteritatis erit.
Consilioq; meo (nihil est praestantius illo)
Incubet, exemplar, quo doceatur, habet.
Non doceo, quae dura putes, uia leuis eunti est
Ad celebres cultus, perpetuumq; decus.
Triste nihil monitis, nihil insuperabile nostris,
Et faciles aditus, & pia iussa gero.
Adde, quòd est nobis uita, spes certa perennis,
Quis nolit paruo magna labore sequi?
Viuimus ancipites, morimur fugacibus horis,
Nec certum est unum uiuere posse diem.
Quando igitur uitae nequicquam fidimus illi,
Quod potes, aeternos uiuere tende dies.
Vtere me, uiues, & si petis ocia, ueris
Disce frui, & si uis uiuere, uiue diu.

Nulla

Nulla salus, corrupta quies, insana cupido
Est animo uitijs criminibusq; dato.
Quæ si fortè leues capiunt dulcedine mentes,
Sperne, latent pulchris dira uenena rosis.
Siquid in hijs duri est humanæ amabile menti,
Non potes inuitus prendere, dura fuge.
Fascinat insanas Veneris lasciuia mentes,
Dulcia pestifero gaudia in ore gerens.
Hæc ubi solicito iuuenes præstrinxit amore,
In subitos casus, insidiasq; trahit.
Furta, doli, metus, ira, neces, contagia, cædes,
Et furiæ, summum sunt in amore bonum.
Vince igitur flammas, ut ne capiaris ab illis,
Dum tener est, tenero flumina sparge rogo.
Sed capit, & multos funesta pecunia cogit.
Et placet hanc partam quolibet esse modo,
Cæcus amor rerum est, & non nisi uana libido,
Plena metus, nullo certificata statu.
Quantum opus est, satis esse puta, cogeris ab una,
Morte superuacuas linquere diuitias.
Si qua igitur placeant, nisi sit placuisse decorum,
Effuge, sunt animo retia tensa tuo.
Blanda dabit Veneris, rerum dabit atra cupido,
Perniciosa homini displicitura deo.
Cedat amor rerum, cedat mellita uoluptas,
Solius & si quid corporis esse uides.
Nec seruire gulæ placeat, nocet esse superbum.
Pone etiam irato frena modumq; animo.

Ne te corripiat ſopitam ignauia mentem,
Semper age, & factis conſule ritè tuis,
Inuidiamq; alijs non unquam intende, ea peſtis
Solum eſt autori perniciosa ſuo.
Ergo nihil uicij eſt, quod te ſeducere poßit.
Si modo, quæ uideas ſingula, pectus habes.
Verte acres oculos ad res quaſcunq; gerendas,
Et quàm ſuſcipias, perſpice cuncta prius.
HINC mihi fixa acies, & acuto lumine ſolor,
Quale oculos pictæ lincis habere uolunt.
Cuncta animi penetro uiſu, ſtata metior acta,
Et nihil incerta conditione gero.
Non faciles cauſas, non res conſidero uanas,
Captanturq; oculis non niſi digna meis.
Vtq; malis timear, nec me leue uulgus aberret,
Torua ſub immota lumina fronte premo.
Viderit inſipiens, oris grauitate retactus,
Notitia ſceleris corruet ille ſui.
Si bonus inſpiciat, quod amet, cui pareat ultro
Inueniet, mentis dexteritate meæ.
SVNT mihi porrectæ foribusq; patentibus aures,
His nihil obſcurum, quale ſit, eſſe poteſt.
Vtq; immanis aper creſcentia gramina ſentit,
Sic capio auditu, uerba relata meo.
Me potius iuuat aure frui, quàm fungier ore,
Auditusque procax, eſt mihi lingua grauis.
Sæpe moras cauſor, reſponſis tempora poſco.
Nec refero, niſi quæ ſit tacuiſſe, malum.

QRE meo cresci frondentia lilia cernis,
Molior eloquio grandia sæpe meo.
Permoueo mentes hominum, uerbisq; pacisco,
Horrida causatrix prælia lingua sedat.
Erudio teneram dulci sermone iuuentam.
Sic aliquis uirides flumine nutrit agros.
Plura ego perficio uerbis, grauioraq; multo,
Quam qui terribili concutit arma manu.
PARTE alia capitis radiantem molior ensem,
Iustitiæ speciem materiamq; meæ.
Si qua minus uerbis potero, ui fungor aperta,
Quiq; nihil iußis paruit, ense luit.
Dum grauis illata est raptis iniuria rebus,
Non nisi consulto pectore bella gero.
Non opibus parco, pœna perfungor eadem.
Siue habeat diues crimina, siue miser.
QVALE uel est cygni collum, uel quale colubri
Est mihi, quod spacijs profero cuncta suis.
Tarda loquor, meditata prius nihil audeo uerbis,
Tunc ubi consultum est edere uerba, loquor,
Si quid apud superos oro, licet omnibus illud
Audire, & cuiuis exposuisse uiro.
Nec reticenda deis, homini loquor, undiq; uerus,
Et sine posthabiti suspicione doli.
PECTVS habet Lybici caput, & torua ora leonis
In quosuis casus fortia corda gero.
Non me uersutæ præceps audacia linguæ,
Non terrent quouis bella minata modo.

Fortis in aduersis animoso robore fungor,
Vt paleæ stolidi sunt mihi bella uiri.
Pectus idem aduersis, eadem sententia rebus,
Quæ fortunati temporis esset solet.
PES mihi, qualis erat quãdoq; Erymanthidos ursæ,
Quam dedit Arctoo Iuppiter ipse polo.
Pes latus quoniam firmæ constantia mentis,
Debebit iusti rebus adesse uiri.
Nunquam animi uultum muto, nisi tempora poscãt,
Tempore non rebus sanctio nostra cadit.
Sæpe minis tentor, maneoq; immotus ab illis,
Sic Boreas ualidis incubet arboribus.
Adde quòd oblatis eadem gero pectora donis,
Quæ tamen in uulgo sæpe ualere solent.
DEXtra tenet clausos loculos, coriũq; reuinctũ,
Non tribuo, nisi quod fasq; decusq; iubent.
Parcus in immeritos ego sum, dextraq; tenaci
Non sino inutiliter parta labore rapi.
At largus, si quando decet, si inuitor honore,
Hinc iacit inuisum larga sinistra stipem
Pauperibus dono, per egentes largior amicos,
Et teneo, superet quod mihi, quodq; meis.
VESTIBVS incedo cultis, uelorq; decenter,
Et placet ornatus, mundiciæq; mihi.
Non tamen ut molli uidear malè tectus amictu,
Veste tegor, fortis quam decet esse uiri.
Consueui in gestu pulchrum seruare decorem,
Hoc solet intentos conciliare animos.

At si quid turpe est, medioq; inamabile uulgo,
Dedecet, & magnis officit ingenijs.

VLRICHI DE HVTTEN, EQVITIS GERMANI, DE arte uersificatoria Carmen Heroicum.

Quis modus, & quæ sint seruãdo in carmine leges,
Et quo quæq; suum distendat syllaba tempus,
Littera quas uires habeat, quoq; ordine mutet,
Omnia discutiam paucis, huc læta iuuentus
Verte animi uotum, sitibundasq; imbue fauces.
Non, quia præterea scriptum nihil utile dicam,
Sed, quia munus habes, animo gratante profectum,
Improbet ista licet, cui mentem insana libido
Carpendi studio uexat, mihi fama trahatur,
Inq; dies mihi perstet honos, mihi gloria surgat,
Qui uelit inuideat, seq; hoc mœrore fatiget.

Benefictiæ captatio.

Littera apud Latios isto discrimine fertur
Vocalis Criticos, quòd uoces integra reddat,
Tales quinq; putant, y Græca exinde retracta.
Consona, quòd uoces nil mutans adiuuat ipsas,
In se nulla tamen, nisi uocibus addita rectis.
Harum aliquæ nobis uanos referuntur ad usus,
Quæ sint, disce breui, quibus e non assonat ipsis.
O tamen u iunctum stat in usu crebrius illo,
Vt sequor, ut quoniã, uetus est scripsisse calendas.
H nota nonnullis uenit aspiratio uerbis,

Litera.
Vocales.
Consonantes.
H.

Non tamen iccirco, quo poßit litera dici.
Adde, quòd in uersu cadit hæc, & nulla putatur,
Nec te conturbet, si obiecerit unus & alter,
Posthabita coluisse Samo, hic illius arma,
Non ego confirmo, quo quisquam est rarior usus.

X. X dupla est, ueteres (breuitas cum fortè iuuaret)
Pro (gregis hoc monstrat) iunctis scripsere duabus,

Z. Dumtaxat Græcis Z est data littera uerbis.
Quæ super has restant, dabis illis littera nomen.

Mutæ. Consona uel muta est, quoniam malè uocibus astat,

Semiuocalis. Inq; e finitur, uel (quæ plus consonat istis)
Semisona, incipiens e, dum se terminat ipsam.

F. F tamen (ut muta est) nihil hac ratione tenetur,

Priscia. 1. Nanq; potestatem non mutat spiritus ulli.
Quid? quòd habet mutæ uim totam, & cõuenit ante

Vocales latinæ anci= pites. Mobilibus liquidis, sic flauus, sic fremo profers,
Omnis in hoc numero uocalis ponitur anceps,
Non ut apud Graios, ubi stricto iure tenentur.
Nulla unquam tenuit uocales syllaba binas,
Ni coëant simul, & diphthongi nomine quadrent,

Diphthongi quatuor Quatuor ista modis fieri connectio sueta est.
Aulæ erit exemplum, fœlix, atq; eurus in illa.

Ei. Quinta ferè excoluit pacto diphthongus eodem.

Virgil. Aeglo. 1. Scribe graueis tamen hac, tentabunt pabula fœtas.
Quisquis ab antiquis scribendi congeris usum,

I & u consonantes. I solet uq; simul natiuam amittere uocem,
Consona facta. Iouis, Venus hoc ostendere possunt,
Vtraq; conuerti facilis, retroq; referri.

Troia, gaza uelut. Troiæ qui primus ab oris. — Virgili. 1. Æneid.
Et uerbum soluo, dux longa pace solutus, — Lucan. 1.
Sic uicibus mutantur, & in sua iura recedunt.

I quoq;, ubi posita est uocales inter, utrinq;
Fit dupla, & crassas extendit murmure uoces.
Caius ut est, tamen hanc uoluit geminare uetustas.

V quandoq; sono manca est, uimq; exuit omnem, — Donat. V nõ litera.
Ni liquidam dicas, quoniam resolubilis extat.
Suauis ibi quercusq; dabunt documenta, uel anguis.

Quasdam etiam dici liquidas uoluere Latini, — Liquidæ L & R.
Mollior ijs sonus est, & qui persæpe liquescat.
Quin, positæ ad mutas, uocalem (quæ præit antè)
Si breuis est alias, communem incedere cogunt.
Sic aper exit apri, tenebræ sic, siue tenebræ.

Syllaba dispositis surgit compacta lituris. — Syllaba.
Subditur huic tempus, nam si qua est longa duorum — Tempus.
Temporis unius breuis est, ita syllaba constat,
Quanta sit, & iunctas signant fastigia uoces.

Quæcunq; est inter primam uerbiq; supremum, — Triplices syllabæ.
Hanc mediam dicunt, medias ita dictio plures
Continet una simul, quæ lege tenentur eadem.

Quæ uenit ante aliam uocalis, corripietur. — Vocalis ante uocalem.
Sic uia, sic deus est, fio producitur, usq;
Dum subit r uoci, fierem, fieriq; notando.

Omnibus est anceps genitiuis syllaba in ius. — Genitiui ius.
Casibus in quintæ, quando i subscribitur, extat — Casus ī ei.
E longum, choream, plateam communiter effer.

Diphthongus longa est. Mora fit, si fortè sequatur — Diphthō.

Positio.

Consona uocalem duplex, ita piscis & axis,
Vocalem longant, ita nox, ita maius habentur.

Præterita dißyllaba.

Sto, fero, scindo, bibo, do, findo, collige raptim
Præterita in primis, alias dißyllaba produc.

Supina dißyllaba.

Sumis itum, lector queo, cum fero, stoq;, sinoq;.
Et lino, cunq; citum, ruo, do, reor, omne duarum
Tende supinum alias, & ab hoc quæcunq; creätur.
Huc tamen accitus, staturus, longa notabis.
Ambitusq; simul, quibus excitus sociatur.

Præteritū ad præsens.

In reliquis præsens hæc tēpora cuncta sequūtur,
Sic colo dat colui, sic uerbum amo format amaui.
Tolle tamen potui, genui, ex illis posuiq;.

Præterita geminata.

Præteriti geminata breuis stat syllaba semper.

De cōpositione præpositionū

A, præ, se, de, pro, simul e, di, longa reponas
Compositis, dirimo tamen hinc, & tolle disertus:
Ad, sub, ab, inq;, per, ob, re, bi, bis contraria sunto
Ni positu longæ fiant, biga excipe tantum.

De deriuatis:

Omne suā sequitur, qua fluxit origine, uerbum.
Sic scriba à scribo, nomen fit mobile uerbo.
Sunt breuia ista tamen, deducta ab origine longa.
Et manus, & titulus, fragor & fragilis, duce arista,
Cum sopor, atq; farina, lucerna, disertus, offella,
Adde dicax, stabilisq;, sagax, odiumq;, mamilla,
Et lotium & fatuus, siquidemq;, curulis, acerbus,
Iūge femur, uada, aquæ, noto, cū quater adde quater.
Cūq; fides, uitiūq;, uiri, nato, arena, tigillus, (nus,
Quodq; abit ex signo, ligulamq;, bubulcus, aceruus,
Et stabulum, uaricosus, anus, coma, iunge numisma,

Huc

Huc domus, huc oculus, huc confers lector omasum,
Deducta à breuibus, sic producenda notantur — A breuibus producta.
Regula, iucundus, staturus, secula, uomer,
Vitupero, remus, tum casus, iunior, humor,
Tegulaq;, humanus, legis, laternaq;, rapum,
Caseus, & totus, uocis, iumentaq;, regis,
Viginti, binus, denus, trinus, quoq; nonus,
Iugera, uena, quibus sedes, & macero, petus,
Serius, & nequam, feralis, sumina, uires,
Vociferor, fomes, ceritus, secius adde.
Non ego cuncta meo, lector quærenda labore
Esse puto, restabit enim, uentura quod ætas
Quærat, & ut studio quisquam se exerceat illo.
A quo deflexum recto, reducitur isthuc. — De declinationib.
Sic lego fit legerem, legi legisse parabit.
Præteritum sua nanq; tenet, sua tempora præsens.
Ipsa suum simplex coeuntia iure sequuntur. — Cõpositã
Quòd si fortè tibi primaria syllaba uerbi
Simplicis ignota est, te compositura docebit,
Ponere præpono notat, & conducere duco.
Sæpe per accentum, quanta est, te syllaba fallit. — De accentibus cautio.
Corporibus dicens, po negaret (ut est) breue quisquã,
Sed tu protuleris modo corporis, illico nosces,
Nam numerus uerbo nimium si excreuerit ulli,
In breuius redige, aut alia hoc ope nitere lector.
Fit breue compositum persæpe ex simplice lõgo, — De compositis.
Agnitus hoc monstrat, cũ pronuba, & innuba, lector
Deierat à uiro, sic infio, suffio cedunt.

Sæ-

Geminatio syllabæ

Sæpe aliquam doctis placuit geminare poëtis.
Relliquiæ uelut, & redduco, relligioq;.

I in medio compositi

I breuis in medio est, uelut armiger, excipis inde.
Qualicunq;, & ubiq; tamen, nec perstat ibidem.
Quanticunq;, etiam plerq;, tibicen, utriq;.

De declinationib.

Hic, ubi se rectus reliquis in casibus auget.
A longum, eq; scies, simul o, sic profer earum.
Musarum, quorum, dominorum, sicq; dierum
V breuis iq; manet, uerubus, grauibusq; notabunt.

De crescentijs casuũ.

Alis ut in neutro producitur, adijce naris,
Omnibus ar neutris, cum mascula corripiantur.
Sed iubar & nectar, uel epar, salis, excipe ab illis.

As.

Præter anas, producis ab as, ubi casus abundat.
Sic pietas pietatis habet, sed adis breue perstat.

An. ax.

An longum, sed & ax, profertur casibus istis.
Dropacis hinc, facis, atq; abacis, corax tamen auser.

El. en. es.

El, en, es, tendis, paries, aries, seges, & pes,
Et teges, & teres, atq; abies, & præpes, hebesq;.
Interpresq;, Ceres, quibus omnibus est breuis usus.
In quoq; producunt, delphinis ut, & salaminis.

Er.

Er breue comperies, uer lege excedit ab illa,
Et quibus ad Latios, eris transfertur ab iris.
Vt Panther, Crater: secus est, ubi dixeris aër.

Is.

Is breuiter crescit, longo monosyllaba fine.
A lapis ut lapidis, sic lis fit mobile litis.

Ex.

Ni gregis exciperes, ex longum (ut regis) haberes.
Ni etiam (ut silicis) mutetur litera uoci.

Ix.

Adiectiua per ix, nec non muliebria tende.

Præ

Præter onix, histrix, pix, nix, natrixq;, salixq;,
Coxendixq;, filix, laricis, stygis & strigis adde.
Mascula præterea producta sequentia mastyx,
Phœnicis, Bombix, Ceix, Spadix, Sandixq;,
Dæmonis o breuiat, præter penè hoc, legis onis. Onis.
Fœmina, mas, commune, simul non propria, produc
Or quibus accrescit, deme indecor, & memor, arbor. Or.
Rhetoris, o breuis est neutris proprijsque notatis.
Si quod ab u recti creuit, breuiabit o semper. Vs uris.
Sic pecus hoc pecoris, sic est ebur, & breue corpus, Obs. ops.
Obs scrobis, ops inopis, paucissima corripientur.
Cappadocis præter, bouis & crescentia præcox. Ox.
Longum erit os, simul ox, sic moris, sic lege uocis.
Vtis ab us crescens, nec non producitur udis. Vs utis.
Dictio in ux patrio longa est, monosyllaba præter,
Lux tamen hinc demis. Sed in ur correpta manebũt, Vr.
Vt ligur, ut turtur, sine fur tamen esse seorsum.
Est etiam, ut uideas, quo crescant uerba tenore, De excre=
Dum legeris profers, & dum tu deinde legeris. scẽtijs uer
Dum sequerer, sequereris ais, multum inter in illo est. borum.
I breuis in terna est, quarta hanc inflexio profert.
Sic legimus dicunt uulgo, sic deinde perimus. Iui præte
At ui præteritum semper productilis est uox. ritum.
Audiui exemplo est, quæsiui, & lector amaui.
Longa uelim simq; i faciunt, sic uerte uelimus.
Passim alibi breuis est crementis ista secundis.
O semper longum est, breuis u crescentibus astat.
Possumus ut dicas, legitote, & talia cuncta.

Vl=

De ultimis syllabis.

Vltima dicendum est, quanta extet syllaba uocē
Cuilibet, in primis, medijsque uagabere passim,
Multa legens, nam quis diffusam comperiet rem?
Inq; nouas leges coget? probus autor in illo
Sudari frustra putat, haud ego murmure longo
Sustineo quenquā, placet omnia dicere paucis,
(Quæ rata sint) uerbis, & te breuitate iuuare.
Quæ uelit hæc scribat, longoq; accepta labore
Colligat, & multis dociles sermonibus aures
Turbet, ubi tamen hanc nunquam satis explicet artē.

De declinationib. breuiter.

Ordinibus cunctis genitiuus longus habetur,
Is breuis est ternæ, prolixum pone datiuum,
Pone ablatiuum, sed è tertius excipit ordo.
Plurali rectus, cunq; accusante, uocator,
Longus erit, quanquā est neutris breuis omnib. usus
Casibus is longum est, sed bus breue pone duobus.
Quod semel exposui generali candide dicto,
Iam satis est lector, neq; enim per longa morabor.

A.

A fini longum est, sed casus corripit illud,
Præter ablatiuum, Graioq; ex nomine quintum.
Vltra, ita, uel quia, cum frustra, puta mixta legūtur,
Longa tamen crebrò, ginta communiter exit,
Qui finit numerus, breue quadringenta manebit.
Et si quod simile est, toties hæc regula fallit.

E.

E breuis est, Græcis muliebria longa feruntur.
Sic quæ o finito ueniunt aduerbia casu
Deducta, ut pulchrè, longoq; e uerba secundæ.
Cum quare produc, fermeq;, fereq;, fameq;

Et monosyllaba, sed ne breuis, dũ connotat, an sit.
Nunc sunt longa, uale, caue, nunc correpta legũtur.
Quintus at in Græco, cum sexto longus habetur.
Dic bene, dic malè, & huc generalia congere dicta,
Partim ita longa uides aduerbia raptaq; partim.
I produc, pari corripitur, similesq; cadentes, I.
Phillidi non secus est tibi, cum mihi, ubiq;, sibiq;,
Et nisi, deinde quasi, uel ibi, communia sunto.
O uaria est cunctis, sed eunt monosyllaba longè, O.
Ponis in hanc etiam, ceu uero, aduerbia normam,
Mutuo, crebro, cito, sero, sedulo in ancipiti usu.
Illico contrahitur, semper modo corripietur.
V longum est, nihil hinc demis, sic collige cornu. V.
In b d & m t breues cunctos posuisse uidemus, B.d.m.t.
Sæpe tamen miror t produxisse poëtas.
Naso refert, cum uoce abijt, ego. Iunius inquit,
Magnus ciuis obit, & formidatus Othoni.
Siue licet doctis, siue hoc ita syncopa poscit.
C quib. est, produc: nec erit breue, lac breue, donec C.
Hic uarium est casu, sed fac, qui corripis, audes
Nescio quid dubium, legitur tamen haud semel illud.
L breuiter pones, nil, sol, si exceperis inde. L.
Omnia in n tendis: sume hoc ex ordine forsan, N.
Et tamen, exin, & in, uiden, an, crescẽsq; secundo
In casu nomen, sic pecten pectinis auget
Cum syren, capis hinc hymen, productus in in stat
Rectus, in in quartus breuis est, ita tygrin habebis.
R correpta uenit, crater, ætherq;, character. R.

Cur & iber, pantherq;, stater, producitur & fur,
Aér, nar, uer, parq;, & ab hoc fit mobile si quod.
Adde illis lar, farq; simul, cor (ut ingeris) aptum est
Versib. an tamē huc (dubiū est) dolor et simile addas

As. Omnibus as longū est, secus est, ubi lāpadas inquis
Pallas & arcas, & in Grais, quæ talia multis.

Es. Es longum uates posuere, ubi patrius auget
Se breuiter casus, miles uelut est, breuiatur.
Inquies, es uerbum, penes & pluralia Græca,
Ast aries, paries, abies lege, longa Ceresque.
Resq;, fides, & spes, cum pes, bipes inde tamen sit.

Is. Is breuia, trahimus, sicubi genitiuus abundat
Cum longa, ut samnis samnitis, iunge secundam
Personam uerbi, cui declinatio quarta est.
Cum sis, cunq; uelis, uis & monosyllaba cuncta,
Præter, is & quis, mis, bis, tis, quæ contrahis usu.

Os. Protrahit os finem, sed cui genitiuus os ossis
Additur, excipimus, sed Græcus in os breuis extat
Patrius, & neutri rectus, muliebreq; nomen.

Vs. Corripiemus in us, quæ sunt monosyllaba præter,
Et quibus extensum est casus finale secundi.
Sic lego uirtutis, telluris siue paludis.
Certè ego, quòd ueniat palus in mea carmina, nolim.

Nihil rarum imitandum. Flaccus ut est usus uates, nam quæ unus & alter
Autor habet, quis in hunc nisi crassa fortè Minerua,
Ingenijq; inopis, sine testibus, incidat usum?
Hæc, ut in admissam concedat syllaba uocem,
Tradidimus breuiter, quòd si tibi noster in istis

Ast

Angustus nimis est labor, atq; hac deficis arte,
Vlteriora potes studioso acquirere nisu.

Syllaba facta pedes facit, & pede carmina cõstãt, De pedibus.
Longa sequuta breuem, spartanum gignit iambum.
Huic contrà, ex longa ponere breuiq; Trochee. Dißyllabi
Pirrhe celer breuibus, longis Spondee duabus
Ite pedes, longam correptis Dactyle binis
Antefer, at contrà uolat Amidactylus illi. Trisyllabi
Tot uolucer breuibus Tribrachus, longisq; molossus
Nacta utrinq; duas breuis est ubi syllaba longas,
Creticus efficitur. Scolius contrarius illi.
Ante breuis longas Bacchius, contrait autem
(Vt uersura docet) Palymbacchius eidem.

Sunt, quibus accedit (potes hoc inquirere lector)
Syllaba quarta pedes, immensum est omnia dici. Tetrasyllabi.

Miscueris tenuem, si quando ad carmen Homeri,
Pentbametrum, numeris dabit his elegia nomen. De Elegiaco carmie

Exiguos elegos pedibus constare duobus,
Maxima pars uatum sentit, da Dactylon illis,
Spondeumq; grauem, nihil hoc in carmine iuris
Alter habet, cunctis est ultima uersibus anceps. De scansione Heroici.
Ponis in Heroo semper promiscuè utrunq;.
Ius tamen in quinta est (nam sex regionibus illud
Diuidimus carmen) soli tibi Dactyle perstat.
Spondeus sextum sibi pes uice quærit eadem.

Sæpe tamen quintam in uersu pes occupat idem.
Chara deûm soboles, magnum Iouis incrementum, Spondaicum.
Alter in alterius, quoniam resolubilis extat,

Hipermee ter.

Tempora. Sunt etiam, quibus ultima syllaba abūdat,
Principio alterius connectit hypermeter illam.

Pedum re solutio pulchra.

Omne adeò genus in terris hominumq;, ferarumq;,
Et genus æquoreum, sed quòd legis ariete crebrò,
Hoc Proceleumaticum pedibus docet addier istis,

F. Quinti lianus.

Disce, quòd angustis hærere in legibus amplos
Non deceat uates, magna est in carmine uirtus,

Varietas in carmīe.

Sæpe noui quicquam uenia committere honesta,
Quod uarium mentes lectorum ducat, & aures.
Fluuiorum rex Eridanus, Maro dicere posset.

De scansi one Pen= thametri.

PEnthametrū in partes doceo disponere binas,
Prima duos miscere pedes solet, huncq; uel illū
Continet, ut libitum est, dehinc ultima syllaba restat,
Dactylus inde duplex, parti solet esse secundæ,
Syllabaq; ad finem, quæ sic collata priori,
Iure pedis quinti numerum hoc in carmine cōplet.

Obseruanda in scansione.

Tu quoq;, qui uersus in partes digeris ipsos,
Disce modum, neu te mandatis subtrahe nostris.
Contigerit uocis si quando in fine prioris
Vocalem poni, sicq; inceptare sequentem,

Synalephe.

Prima cadit, fiet Synalephe, sic cadit ante

Eclipsis.

(Fiat ut Eclipsis) m litera, monstrat utrunq;
Littora multum ille & terris iactatus ab alto.
Hanc tamen aduersus potuit Maro dicere legem,

Exempla cōtraria.

Insulæ Ionio, sic deinde sub Ilio alto.
Sæpe etiam ut longæ maneant, mirabimur illas.
Hæc Helenum cecinisse penatigero Æneæ
Naso tulit uates, sic Ionio immenso,

In Satyra scriptum est, tum propter plurima, tũ his.
Perstat item si qua est uocali s dictio facta. Exceptio.
O utinam tunc, cum Lacedæmona classe petebat.
Antiquum est etiam decidere falcibus ramos. S absorbẽdum.
Sæpe breuis totas præscindit Syncopa partes,
Vt quoties raro duxti suspiria motu. Syncopa.
Demit & Apocope finem (sic pone negoci) Apocope
Quẽ Paragoge auget, sic quisquã fungier inquit. Paragoge.
Ius habet in binas differre Diæresis unam. Diæresis.
Vt solet, in cumulum iunxisse Synæresis ambas. Synæresis
Sic nos aulaï, sic persoluenda notamus.
Ferreîq; Eumenidum thalami, furtumq; Prometheî,
Plurima præterea dij, cui, deinceps uelut addis
Semianimis, dehinc, deinde, uel huic ij, pinde legũtur.
Dicendum &, qui sint ornando in carmine flores De carmi-
Hic operæ est precium, uigiles huc uertite mentes nis cultu.
Osthenij iuuenes, nec uos labor abstrahat ullus.
Continuò studio curisq; calentibus, acri Multũ la-
Optima quæq; animo, legere aut audire, graues q; borandũ.
Edidicisse libros, crebraq; indagine doctos
Eligere autores, scribentem carmen oportet.
Quicquid habent alij passim, Maro nouit, & artes
Calluit omnigenas, doctrinaq; acre iuuabat Virtus po-
Ingenium, hinc illi tanta est in carmine uirtus, etica.
Tantus honor, hinc est, quòd uates altior omnes
Hic superat Latios, nomenq; ad sidera tollit.
Nec, quoniam munus uobis natura benignum Non inge-
Contulit ingenij, nimium confidite uobis, nio confi-

dendum.

Excolite has uires, animumq; intendite rebus.
Quis molē hanc moueat, quis euntibus imperet astris
Quid fatum, quid sit casus, quo turbine præceps
Mundus eat, quæ sit rebus natura creatis,
Discite per causas, hominumq; inquirite mores.
Nam conforme suis multum scripsisse probatus
Temporibus carmen, uiuosq; effingere gestes.
Dum legitis, multum potius, quàm multa legetis.
Nec uos dicendi lateant genera, utq; peritus
Orator causas tractat, sic scribere uates,
Sic solet eloquio mentes mulcere, sed illi
Liberior uocum est usus, uos cogite uoces
Inter se similes, nam res etiam ista iuuabit.
Profuit & genus in speciem, aut contrà uariari,
Et saltem affini confundere nomina sensu,
Rarò aliquod ponas nomen, nisi forsitan illi
Adiectum tribuas proprium, sit lucidus omni
Duricie procul hinc sermo, sint omnia plana,
Sint facili producta stylo, uenaq; fluenti.
Non tamen, ut sensu careant, frustraq; legantur,
Sed moueant animos, aliquemq; ferantur ad usum.
Est etiam, ut studeas pictas miscere fabellas,
Historiaq; simul, si quid locus exigit illud.
Sæpe, ubi quid repetis in carmine, pulchrius exit.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Ter pater extructos disiecit fulmine montes.
Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido,
Attice crede mihi, militat omnis amans.

Philosophiæ studendum.

Car. nē tē pori conforme.

Quomodo legendum.

Orator et poëta.

Vocabulorū usus

De epithetis.

Virtus carminis.

Exornandū carmē.

Pulchræ repetitiones in uersibus.

Mul

Multa super Priamo, rogitans super Hectore multa.
Illum & labentem Teucri, & risere natantem.
Meme adsum, qui feci, in me conuertite ferrum,
Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper.
Quodq; Maro dixit: Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens, Et in adiectiua resurgens
Marsa manus, peligna cohors, festina uirûm uis.
Et si quid simile his, uelut est Athamasq; Thoasq;.
Vsq; adeò sensis similem decet esse loquelam, — Adfectũ
Vt si quid durum est, duro procedat hiatu, — uerba se-
Concitet & gestum sermo, quid pulchrius illo? — quantur.
Monstrũ horrendũ, informe, ingẽs, cui lumẽ adẽptũ.
Pulchrũ est: rura petũt, hic Thuscũ, atq; ille Sabinũ
Transit & in carmen celebri translatio cultu. — Metapho-
Bellè equidem dictum: claßiq; immittit habenas. — ra.
Nauigio sulcat mare, ferrum armatq; ueneno.
Stat pro contento retinens, ut uina coronant, — Continẽs
Per Venerem luxus, per Bacchum intellige uinum. — pro con-
Per Cererem fruges, inuentoremq; suarum, — tento.
Finge ipsas rerum non ista licentia tantum
Quinetiam decor est. Ornata Periphrasis omni — Peri-
Laude nitet tibi, mille locis exempla petantur, — phra-
Non etiam incultum est, rapiunt incensa, ferumq; — sis.
Pergama uos celsis. Ita sermo patheticus ornat,
Transponunt etiam, quas iungere lege deceret, — Pulchra
Italiam contra dixit Maro, dixit & idem: — dictionũ
Transtra per & remos, septem subiecta Trioni. — traiectio.
Synthesis his propior: Iuuenes fortißima frustra — Synthesis

Parethesis
Allegoria
Ironia.
Adfectatio fugienda.

Pectora. Et in medio conclusa Parenthesis ornat
Allegoria simul: pueri sat prata biberunt.
Dissimulansq; in se quicquam Ironia relatum.
Quisquis ab his cultum quæris, uersusq; colorem
Non excede modum nimia est uitiosa uenustas.
Quodq; satis pulchrum est, crebro uilescit ab usu.
Cætera, quæ poterant istis superaddier, olim
Vestrum aliquis per se quæret, mea cõmoda saltem
Sit breuitas quicquam, uobis ne spernar ubiq;.

Synceriter citra pompam.
zelo uirtutis.

FINIS.

Anno. M. D. XXXVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

II 2

Th
6028

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN